a earnestly besought.

* But.
b the horse having now gotten the conquest.
c the stag,
d reiected or cast off.
* nor [put away or removed]. the bridle.
*vnhappy or foolish man.
* want
* metals,
* shall serue or be a seruant.
e cannot tell.
f to be content with,

a Implored the * helpe of man, and receiued the bridle [of that condition.]

* So after that, *b* the violent conquerour departed from *c* the enemy,

Hee *d* repelled not the horseman from [his] backe, * nor the bridle from [his] mouth.

So the * poore caitife, who fearing * pouerty, loseth liberty, better than * gold, shall carry [his] master,

And hee * shall be a slaue for euer, who *e* will not know [how] *f* to vse a little.

FINIS.

a earnestly besought.

* But.
b the horse having now gotten the conquest.
c the stag,
d reiected or cast off.
* nor [put away or removed]. the bridle.
*vnhappy or foolish man.
* want
* metals,
* shall serue or be a seruant.
e cannot tell.
f to be content with,

a Implored the * helpe of man, and receiued the bridle [of that condition.]

* So after that, *b* the violent conquerour departed from *c* the enemy,

Hee *d* repelled not the horseman from [his] backe, * nor the bridle from [his] mouth.

So the * poore caitife, who fearing * pouerty, loseth liberty, better than * gold, shall carry [his] master,

And hee * shall be a slaue for euer, who *e* will not know [how] *f* to vse a little.

FINIS.

DE CIVILITATE MORVM PVERILIVM PER D. ERASMVM ROTERODAMVM, LIBELLVS AB AVCTORE recognitus, & Scholijs illustratus per Gisbertum Longolium Vltraiectinum.

LONDINI
Typis H. Middletoni, impensis Guil. Nortoni, & Ioh. Harisoni.
1578.

GISBERTVS LONGOLIVS Iusto & Christophoro fraterculis. S.

CVm ego vobis morē gerens fratrēs suauissimi, & vetustis precibus (quæ plurimum sanè apud me possunt) plus æquo indulgens, ὀχόλιον qualecunqué in libellum de Ciuilitate morum paro. Videtis quantum nominis mei periculum faciam, quamqué copiosam calumniandi plerisqué materiam obijciam. Quid enim dicturi sunt, vbi cognouerint intempestiuā meam audaciam, in arenam istam descendisse, quæ nisi a versatissimis in omni auctorū genere magistris occupari soleat? Quàm putatis naso suspendent, quum adolescentulum me nondum viginti annos natū, in hoc scribendi genere stylum exercere ausum fuisse, quod maturismæ ætatis iudicjqué viris solū relinquitur, viderint? Non dubium, quin mox ex omnibus theatris consentientibus manibus explodar. Stat tamen hactenus firmè apud me sententia, omnium æmulorū συρίγματα infracto animo ferre, modo aliquid ex hoc libello vsqué ad vos perueniat. Vos itaqué lubenti animo operam hanc breuibus his horis & vobis impensam suscipite. Et omnibus in hoc libello præscriptis animū formantes, ciuilē cum cuiusuis ordinis hominibus conuersandi consuetudinem a teneris imbibite. Dispeream, si quid vnquàm honestius, aut amabilius studueritis. Valete. Coloniæ. Anno Domini. M. D. XXX.

DES.

DES. ERASMVS ROTE-RODAMVS GENEROSO CVM PRIMIS ET OPTIMAE SPEI PVERO HENRICO A BVRgundia Adolphi principis Veriani filio S.

Iter maximum illum Paulũ non piguit omnia fieri omnibus, quò prodesse posset omnibus, quanto minus ego grauari debeo iuuandæ iuuentutis amore subinde repueraſcere? Itaq; quẽadmodum pridẽ ad Maximiliani à Burgundia fratris tui primam adoleſcentiam memet accommodaui, dum adoleſcentulorum formo linguam: ita nũc Henrice ſuauiſſime, me ad tuam attempero pueritiam de puerorum moribus præcepturus: non quod tu hiſce præſcriptis magnoperè egeas, primum ab incunabulis inter aulicos educatus, mox nactus Ioannẽ Cruciũ, tam inſignem formandæ rudis ætatis artifice: aut quod õnia quæ præſcribemus ad te pertineãt, & è principibus & principatui natũ, ſed vt libẽtius hæc ediſcant omnes pueri, quòd ampliſſimæ fortunæ, ſũmæque ſpei puero dicata ſunt. Nec enim mediocre calcar addet vniuerſæ pubi, ſi conſpexerint heroũ liberos à primis ſtatim annis dicari ſtudijs, & in eodẽ cum ipſis ſtadio currere. Textus.

ETHicus eſt Totus libellus de puerorũ ingenuorum moribus, virtutis incu- Scholia.

nabula,atque rudimenta docens: τὸ πρέπον,quod ab honesto(Cicerone teste)non separatur,in omnibus actionibus seruandũ præcipit. Est autẽ vel prima virtutis & honestatis pars, tenere præcepta de moribus. Porrò cum & rustici & infœliciter educati suos habeant mores,ciuilis vitæ consuetudo hic discenda proponitur, morumque ciuilitas vocari potest, quæ sic appellata est,quia ciues, hoc est, qui ciuitates habitant, ad humanitatem plerunque & communem viuendi cum honestate rationẽ rusticis exercitatiores sunt. Vnde tam apud Græcos quàm Latinos ἀπὸ τοῦ ἄστυ καὶ πόλις,id est,ab vrbs & ciuitas,ἀστικός ἡμῶν πολίτης,hoc est,vrbanus & ciuilis dicta sunt.Extant passim exempla apud auctores quibus vrbanorum ingenia nobis patefiunt.Eupolis virum polypum,hoc est, ad omnem vitæ rationẽ accommodatum, πολίτην vocat.

Ciuilitas morum.

Ανὴρ πολίτης,πολύπους ἐς τὸν τρόπον.

Id est,Vir ciuilis,qui moribus est polypus.Et quia astutiores sunt propter varia hominum quibus cum versantur ingenia & negotiorum contagia, iactatur ille senarius apud Suidam:

οὐδὲν φρονεῖ δίκαιον ἀστικὸς ἀνὴρ.

Id est,Nihil cogitat æqui vrbanus vir.

Rursus

Rursus qui in agris degunt ob ruditatem malè audiunt. Vndeillud vulgare, nec multum a prouerbio dissidens : οὐδὲν ἐξ ἀγροῦ λέγεις .i.nihil ex agro loqueris,hoc est,sordidum aut vulgare. Ergo ciuilitas morum a ciuibus dicta est. *Si ter maximum.*] Huius numeri adiectione & Græci & Latini vehementer significationem dictionis augẽt,τρὶς μέγις &,id est,maximus. Vide prouerb. Chi. Ter. *Omnia fieri omnibus.*] Argumentũ est a maiori: Atque hic locus omnib. indoctorum æmulorum calumnijs (de quibus paulò post plura dicemus) iter præcludit. *Subinde repueraſcere*] Repueraſcunt senes, quum turpiter atque indecorè ad puerilia studia se deijciunt, atq; in his immodicè occupantur: veluti si philosophus disputet, cur α primum locum in ordine literarum habeat, Theologus ex numero epistolarũ D.Pauli mysteriũ aliquod venetur:sicq; in alijs.Sed senes qui βελῇ καὶ μύθοισι (τὸ γέρας κ' ἐσὶ γερόντων, vt apud Homerũ Nestor)iuuentuti consulere studeant, nobis repueraſcere videbuntur? nullus opinor tam frigidi cerebri erit, nisi planè σιαιότερ& μονάχου sit,quid id confiteri ausit. Fuere tamen, quorum ineptam & loquacẽ temeritatẽ

Ter maximus.

Repueraſcere

hic prętерire non poſſum quibus incomparabilis hic puerorum theſaurus, quum primum editus eſſet, anſam calumniandi auctorem dedit. Deum immortalē, quo ſupercilio Eraſmum gramaticum (nam Eraſmū theologum dicere, apud eos verecundum eſt, & capitali cenſura dignū) pro conſuetudine ſua damnarunt? Iam apud omnes, inquiunt, euulgatū eſt, quod hactenus in homine latuit. O intēpeſtiuam ſtultitiam, iā ſenex ſe ad pueros erudiendos demiſit. Nunc quaſi Dionyſius alter Corinthi ōnibus illudendū ſe propoſuit. Hæc atq; alia ὀμφακώτερα crepitabant ventres iſti. Liberet autem ſi liceret è ſophis his quærere, quod nam eſſe ſenum officiū putent, an potare in multā noctem, amicam emere, κυβέυειν πολὺ, an iuuentutem formare, amicos & Rēpublicam conſilio prudentiaq; iuuare? Craſſi medius fidius iudices, vt ab omnibus artibus, ita ab humanitate & communi vita alieniſſimi, quos vtinam ſenes repueraſcere videremus. Sed bonos iſtos patres ſcapharum ſupplicio ter dignos, Atæ commendemus, ne quiſpiam eos delirio detentos putet.

Formare. *Adoleſcentulorum formo linguam.*] Factum

tum hoc in dialogo longè eruditiſſimo, de recte Latini Græciq; ſermonis pronuntiatione. Eſt autem elegantis vſus in hoc ſenſu formare, pro inſtituere, Græcaq; imitatio, Διὼν καταςχηματίσας τὴν παιδιὼν γλῶσσαν πόλλοις καὶ ἀγαθοῖς παιδεύμασιν ἔθανε, id eſt Dion formans puerorum linguam multis & bonis artibus obijt. Quint. Ab illis quoq; iam formandam quam optimis inſtitutis mentem infantium iudicat. Virgilius quoque de bobus.

Tu quos ad ſtudium atq; vſum formabis agreſtem, Iam vitulos hortare.

Primum inter aulicos educatus.] Duo præcipua quæ ad fœlicitatem eruditionis & probitatis momẽtũ maxima ſunt, enumerat, primum educationis curam, quę in nobilibus & ditioribus diligentiſſima eſſe ſolet: deinde doctum nanciſci pædagogum. His enim duobus contemptis, quis ignorat omnes artes ſuperioribus ſeculis deſciuiſſe a vetere gloria, non inopia hominum, ſed deſidia iuuentutis, & negligentia parentum, addę his inſcitiam præcipientium & obliuionem moris antiqui? Quæ mala iam multos annos, orbẽ noſtrum occupauere, emendantur tamen nunc paulatim, redi-

Veterum circa educationem cura.

turamqué breui ſperamus maiorum circa educandos formādósq; liberos ſeueritatē atq; diſciplinam. Doctè ſane Plutarchus ἐν τῷ περὶ παιδῶν ἀγωγῆς hac de re diſſerit, vt apud Tacitū Meſſala, cuius quę-dā huc tranſcibere non inutile lectoribus fore duxi, non quod hic omnia inſarcire velim, ſed quòd omnibus notiſſima, quæ è veterum diſciplina & educatione dicūtur, eſſe cupiam. Eſt autem locus è dialogo de oratore: Iā pridē ſuus cuiqué filius ex caſta parēte natus, non in cella emptæ nutricis, ſed gremio ac ſinu matris educabatur, cuius præcipua laus erat tueri domū, & inſeruire liberis. Eligebatur autē aliqua maior natu propinqua, cuius probatis ſpectatisq; moribus ōnis cuiuſdam familię ſoboles cōmitteretur, coram qua neq; dicere fas erat, quod turpe dictu: neque facere, quod inhoneſtū factu videretur. At nō ſtudia moresq; ſed remiſſiones etiā, luſusq; puerorū ſanctitare quadā, ac verecundia tēperabat. Sic Corneliā Gracchorū, ſic Aureliā Cæſaris, ſic Actiā Auguſti matrē præfuiſſe educationibus, ac produxiſſe principes liberos accepimus. Quæ diſciplina ac ſeueritas eò pertinebat, vt ſincera & integra, & in nullis priuatibus detorta vniuſcuiuſq; natura toto

ſtatum

ſtatim pectore arriperet artes honeſtas, & ſiue ad rem militarem, ſiue ad iuris ſcientiam, ſiue ad eloquentiæ ſtudiũ inclinaſſet, id ſolũ ageret, id vniuerſum hauriret. Et paulò poſt. Ergo apud maiores noſtros iuuenis ille qui foro & eloquentiæ parabatur, imbutus iã domeſtica diſciplina, refertus honeſtis ſtudijs, deducebatur a patre, vel a propinquis ad eum oratorem qui principem locũ in ciuitate tenebat, hunc ſectari, hunc proſequi, huius õnibus dictionibus intereſſe, (vtqué ſic dixerim) pugnare in prælio diſceret: magnus ex hoc vſus, multum conſtantię, plurimum iucidij iuuenibus ſtatim contingebat, in media luce ſtudentibus, atq; inter ipſa diſcrimina, vbi nemo impunè ſtultè aliquid, aut cõtrariè dicit, quod & iudex reſpuat, & aduerſarius exprobret, ipſi denique aduocati aſpernentur: Hactenus Tacitus. *Ab incunabilis*] Adagium eſt, explicatur in Chilia. *Calcar addet.*] Trãſlatio eſt ab equo calcaribus inſtigato. *Nec enim mediocre*] Hoc eſt, alterum illud contentionis genus, quod tãtoperè commendatur ab Heſiodo vate:

Εἰς ἕτερον γὰρ τίς τ' εἰδὼν ἔργοιο χατίζων
Πλούσιον, ὃς σπεύδει μὲν ἀρόμμεναι
ἢ δ' φυτεύειν,

οἰκόν τ' εὖ θέσθαι, ζηλοῖ δέ τε γείτονα γείτων· Εἰς ἄφενον σπεύδοντ', ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥ δὲ βροτοῖσι.

Quæ ſic poſſent ad verbum reddi:
Si quis egens operis ditē ſudore madentē
Vicinū aſpiciens, & arantē, aruūq; ſerētē:
Quiq; domū inſtauret, ſequitur felicia fac
Vicini vicinus, & hęc cōtētio frugi eſt. (ta

Textus. *Munus autem formandi pueritiam multis conſtat partibus, quarum ſicuti prima, ita præcipua eſt, vt tenellus animus imbibat pietatis ſeminaria: proxima, vt liberales diſciplinas & amet, & perdiſcat: tertia eſt, vt ad vitæ officia inſtruatur: quarta eſt, vt a primis annis rudimentis ciuilitati morū aſſueſcat. Hanc poſtremam nunc mihi proprie ſumpſi. Nam de ſuperioribus quum alij complures, tum nos quoq; permulta conſcripſimus. Quāquam autem externum illud corporis decorū ab animo bene compoſito proficiſcitur, tamen incuria præceptorum nonnūquam fieri videmus, vt hanc interim gratiam in probis & eruditis hominibus deſideremus. Nec inficior hanc eſſe craſſiſſimā philoſophiæ partē: ſed ea, vt ſunt hodie mortalium iudicia, plurimum conducit, & ad conciliandam beneuolentiam, & præclaras illas animi dotes oculis hominum commendandas. Decet autem vt homo totus ſit cōpoſitus animo, corpore, geſtibus, ac veſtitu:*

veſtitu: ſed in primis pueros decet omnis modeſtia, & ex his præcipuè nobiles. Pro nobilib⁹ autẽ habẽdi ſunt õnes, qui ſtudijs liberalibus excolũt animum. Pingant alij in clypeis ſuis leones, aquilas, tauros, & leopardos: plus habent veræ nobilitatis, qui pro inſignibus ſuis tot poſſunt imagines depingere, quot perdidicerunt artes liberales.

Munus autẽ.] Hactenus prooemium, nunc ipſam rem aggreditur. *Imbibat pietatis ſeminaria.*] Hic inſtituendi mos qui religionem ſpectat, vetuſtiſſimus. Monuit hoc quiſquis auctor eſt gnomici illius carminis, quod Pythagoræ nomine circumfertur. Et Empedocles cum auditoribus phyſicen traderet, deorũ religionem primũ cõmendatam eſſe voluit, auctore Plutarcho: ſic enim incipit carmen: πρῶτον θεῖα μαθὼν. *Quanquam autem externum.*] Videas quoſdam optimę indolis, & ſic ſatis bonis artibus inſtructos adoleſcentes, quorum ſi mores & ſuauem illum cum hominibus conuerſandi rationem examines, in medijs agris enutritos iurabis, vel quod a præceptoribus hæc diſciplina morum contemnatur, vel quia ipſi (quales non paucos nouimus) immodeſtiſſimi & ἀγροικόταλοι ſint. Notum eſt Leonidæ Alexandri præceptoris ex

Scholia.

ex Quintiliano vitium. Rectè ergo Græci præceperunt in ſententijs.
Γράμματα μαθεῖν δεῖ καὶ μαθήματα νοῦν ἔχειν
i. Oportet adſint literę & prudentia. Et
ὡς οὐδὲν ἡ μάθησις ἄν μὴ νοῦς παρῇ. Id eſt
Et nil ſcientia eſt prudentia ſine.

Extat inter epiſtolas Budæi vna, ad Draconem filium, qua docet quàm vtilis ſit morum literarumq; coniunctio. *Pro nobilibus autem habendi.*] Cæco vulgi iudicio ōnis diues nobilis eſt, hacq; vna ratione cēſetur nobilitas, ſi videāt Thraſonem, chlamydem militarem, frequentem adulatorum & canum turbam, atq; id genus alia, quæ in Nigrino generoſo illi ex facculo obijcit Lucianus. Melius Homerus, qui in animo nobilitatem eſſe docuit. Non (vt Plutarchus ait) ea quę ad corpus & fortunam referuntur, admodū magno ſtudio digna æſtimari iudicauit. Siquidem cum magnates mutuo ſe ſalutantes & appellantes introducit, non aurea torque ſpectabiles ſe compellari facit, ſed hac egregia appellatione vtuntur.
Διόγενες Λαερτιάδη, πολυμήχαν' Ὀδυσσεῦ.
Nate Iouis Laertiade multiſcie Vliſſes.
Ἕκτωρ υἱὲ Πριάμου δεῖ μήτιν ἀτάλαντε i.
Heus Hector Priami, par conſilium dare diuis. Optime ſentit Menander,

Quæ vera nobilitas.

qui

qui nobilitatem cum prudentia coniunctam fœliciſſimam iudicauit: citatur eius ſenarius a Plutarcho de auditione Poëtica:

μακάριος ὅστις οὐσίαν καὶ νοῦν ἔχει. Id eſt. Fœlix abundans æris & prudentiæ.

Cuperem itaq; omnes illos qui nobilitate & diuitijs (his namq; vt baſi nititur nobilitas) ſe vbiq; iactant, virtutis autem oſores maximi ſunt, illud Callimachi continenter in memoria habere.

οὐκ ἀρετῆς ἄτερ ὄλβος ἐπίσαται ἀνδρας ἀέξειν, Haud claros facient homines virtutibus abſque Diuitiæ.

Pingant alij in clypeis] Vetuſtiſſimũ hoc nobilitatis indicium eſt, vt paſſim videre licet apud Poëtas, atque a dijs ipſis profectũ. Pallas quo in bello formidabilior eſſet, Gorgonis ſerpentigerũ caput pro ſcuto circumferebat: Bacchi galea, boum cornibus inſignita erat: Mars & Hercules leonis exuuias induebant: Iouẽ cygni caput cum collo ornabat, quę ſucceſſoribus per manꝰ tradita, nobilitatis, & quòd ab heroibus nati eſſent, ſpecimen dabãt. Nobilium inſignia.

Vt ergo bene compoſitus pueri animus vndiq; reluceat (relucet autem potiſsimum in vultu) ſint oculi placidi, verecundi, compoſiti, non torui: quod eſt truculentiæ: non improbi, Textus.

bi, quod est impudẽtiæ: non vagi ac volubiles, quod est insaniæ: non limi, quod est suspiciosorum, & insidias molientium: nec modice diuẽti, quod est stolidorum: nec subinde cõniuentibus genis ac palpebris, quod est attonitorum, id quod est in Socrate notatũ: nec nimium acres, quod est iracundiæ signum: non inuentes ac loquaces, quod est impudicitiæ signum: sed animum sedatum ac reuerenter amicũ præ se ferẽtes. Nec enim temere dictum est à priscis sapiẽtibus, animi sedem esse in oculis. Picturæ quidem veteres nobis loquuntur, olim singularis cuiusdam modestiæ fuisse, semiclusis oculis obtueri, quemadmodũ apud Hispanos quosdã, semipetos intueri blandum haberi videtur & amicum: Itidem ex picturis discimus, olim cõtractis strictisq; labiis esse, probitatis fuisse argumentum. Sed quod suapte natura decorum est, apud omnes decorum habebitur. Quanquam in his quoq; decet interdum nos fieri polypos, & ad regionis morem nosmet attemperare. Iam sunt quidam oculorũ habitus, quos alijs alios addit natura, qui non cadunt sub nostras præceptiones: nisi quod incompositi gestus non raro vincunt, non solum oculorum, verumetiam totius corporis habitum ac formam.

Contra compositi, quod natura decorũ est reddit decentius: quod vitiosũ est, si non tol-

lunt

lunt, certè tegunt minuuntq;. Indecorum est clauso oculorũ altero, quenquã obtueri. Quid enim hoc aliud est, quam seipsum elusscare? Eum gestum thynnis ac fabris relinquamus.

Relucet autem potissimum.] Tametsi Marcus Tullius vultum sæpe fallere, & Satyrographus fronti non esse fidẽdum, Martialis quoq;, Nolite fronti credere (quia eã nemo non fingere potest) scripserint: optimũ tamen & verissimum animi testem & iudicium esse, Biantis hoc monere poterat, qui semper vultum hominis inspiciendum præcepit. Nec aliunde etiam Pythagoras ingenium auditorum explorare consueuit, vt auctor est Gell. lib. 1. cap. 9. sic enim ait: Iam a principio adolescentes qui se ad discendum obtulerant, ἐφυσιογνωμόνει: Id verbum significat mores naturasq; hominũ coniectatione quadam de oris vultusq; ingenio, deq; totius corporis filo atq; habitu suscitari. Ipse etiam Cicero in oratione contra Pisonem: oculi, inquit, supercilia, frõs, vultus denique totus, qui sermo quidã tacitus mentis est, hic in fraudẽ homines impulit. Et Fabius sic de vultu sentit: Dominatur autem maximè vultus, hoc pendent homines, hunc intuentur, hunc spectant etiam antequam dicamus.

Scholia.

Vultus animi iudex

Hic

Hic est sæpe pro omnibus verbis. Adde quod comicus vultum hominis fingere, scelus dicit. *Non limis*] Sic Chærea Terētianus, vim virgini inferens. Interea somnus virginem opprimit, ego limis aspecto, Satisne explorata sint: video esse, pessulum ostio obdo, &c. Quo loco Donatus docet limis tueri, esse dissimulantium se videre quod vidēt. Et pastor apud Virgilium dum insidias timet, transuersa tueri hirquis. Gestus is etiam amantiū est apud Theocritū, ὄμμασι λοξὰ βλέπουσα de meretricula. *Nec conniuentibus genis.*] Aristoteles libro de animalibus auctor est homines qui conniuent properātius, plerumque inconstantiores esse: rursus qui rigidius, impudentiores.

Limi oculi

Stupentes.

Nec stupētes.] Græci conniuere σκαριαμύκτειν & σκαριαμύττειν dicunt, & ἀσκαριαμύκτους, qui nihil cōniuent (Gellius inconniuentes transtulit) sed quasi affixis in rem quam aspiciunt oculis stupidi persistūt, Id in Socrate nōtat. (Auctor est Gellius lib. 2. cap. 1. Stare inquit solitus Socrates dicitur pertinaci statu perdius atq; pernox, a summo luciꝭ ortu ad solem alterum, orientem inconniuens, immobilis, ijsdē in vestigijs, & ore atque oculis eundē in locum directis cogitabundus,

Socrates stupidus.

gitabundus, tanquam quodam ſeceſſu mentis facto a corpore. *Nec nimiũ acres*] Acres dici puto, quos in iratis flagrantes & ardentes vocant, quales irati Agamẽnonis, Ιλιαδ. α. Aeres oculi.

Μένε δὲ μέγα φρένες ἀμφὶ μελαίναι
πίμπλαντ' ὄσσε δὲ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἐίκτην.

Iraſcentium ſiquidẽ flagrant & emicãt oculi, multus ore toto rubor, & æſtuans abimis præcordijs ſanguis. Quod Oui. apertius ſignificauit in Arte.

Ora tumẽt ira, nigreſcunt ſanguine venę,
Lumina Gorgoneo ſæuius angue micãt.

Miror autem cur Horus Apollonius libr. 2. Hieroglyphicãn hominem acribus oculis impudentem vocet, quem Aegypti per ranam ſignificant: οὐτὸς γὰρ αἷμα οὐκ ἔχει εἰ μὴ ἐν μόνοις ὀφθαλμοῖς, τὸς δὲ ἐκεῖ αἷμα ἔχοντας ἀναιδέας καλέουσι διὸ καὶ ὁ ποιητὴς. οἰνοβαρὲς, κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην δ' ἐλάφοιο. Hic enim ſãguinẽ non habet, præterquã in oculis ſolis, quibus verò ſanguis illic eſt, impudentes vocant, vnde & Poëta: Ebrie, canis oculos habens, cor vero cerui. *Nec mnuentes ac loquaces.*] Loquaces, niſi falſus ſum, Gellius ludibundos vocat. Nã cum vocẽ eius infractam, capillumq; arte compoſi- Loquaces oculi.

tum, & oculos ludibūdos, atq; illecebræ voluptatisquè plenos videretur &c. Nec enim temerè dictum est Plin. li. 11. cap. 56 Oculos vnicolores nulli, cū candore omnibus, mediusculo differentes. Neq; vlla maiora indicia cūcti animalib⁹, sed maximè homini, id est moderationis, clementiæ, misericordiæ, odij, amoris, tristitiæ, lætitiæ. Contuitu quoq; multiformes, truces, torui, flagrantes, graues, transuersi, limi, submissi, blandi. Profectò in oculis animus inhabitat: Similiter Fabius lib. 11. cap. 3. Sed in ipso vultu plurimum valent oculi, per quos maximè animus emanat, &c. *Quemadmodum apud Hispanos*] Gaudent Hispani multum paruis oculis, præcipuè Lusitani: hinc quando supercilia arctius & inæqualiter premunt petorum persimiles sunt. Dicuntur autem peti (vt inquit Acron) quorum oculi huc atq; illuc velociter vertuntur. Porphyrion petos appellandos censet, qui oculis parum sunt declinatis. Alij petorum oculos tremulos esse volunt; alij alterū altero minorē. Hinc semipeti qui cum quadā venustate, oculos leuiter declinando contorquent: vitiū quidē, sed nō inamabile. Talibus namq; oculis Venerē & sculptā & pictam fuisse aiunt, vnde a Priapeis

Animus in oculis.

peta

peta appellatur. *Fieri polypos*] Vide Chiliades Polypi, & Polypi mentē obtine. *Iam sunt quidam oculorū habitus*] Alijs namq; grandiores, alijs paruos, alijs mediocres, alijs nimiū prominentes, alijs conditos, modicè sitos alijs natura affinxit. *Thynnis relinquamus*] Thynni pisces velociſſimi nomen habent, παρὰ τὸ θύειν. quod est, cū impetu ferri: de his Plin. lib. 9. cap. 15. Thynni dextra ripa intrant, exeunt læua. Id accidere existimatur, quia dextro oculo plus cernunt, vtrūq; habentes natura. Volaterranus ex Athænęo scribit Aeschylum & Aristotelē Thynno vnū tantūmodo oculum tribuere. Plura lege apud Erasmū in Adagio. Thynni more. Thynni.

Ac fabris] Fabri ōnesq; alij χειροτέχναι, cum rei alicuius rectitudinē metiuntur, alterum oculum claudunt, ne vagantibus ambobus, rectitudo conturbetur. Hoc respexit Persius, satyra prima.

Scit tendere versum,
Nō secus, ac si oculo rubricā dirigat vno.

Huc faciunt Problema. 2. & 5. sectio. 31. apud Aristotelem, cur vno oculo exquisitius cernatur.

Textus.

Sint exporrecta supercilia, nō adducta, quod est toruitatis: nō sublata in altū, quod est arrogantiæ: non in oculos depressa, quod est male cogitantium.

Scholia. *Sint exporecta ſupercilia.*] Non arbitror ab hoc alienam Ariſtotelis, lib. 1. cap. 9. de animalibus, de ſupercilio ſententiam. Supercilia rectius porrecta, mollitiē animi, ſecundum nares inflexa, auſteritatem nō ſine acerbitate, ſecundum verò tempora, diſſimulatorem animi, & deriſorem: & omnino demiſſa, inuidentem ſignificant. *Non ſublata.*] Plinius li. 11. cap. 36. in ſupercilijs faſtus ſuperbięq; conceptaculū meſſe teſtatur. Plura in Chiliad. Attollere ſupercilium.

Textus. *Frons item hilaris & explanata mentem ſibi bene conſciam & ingenium liberale, præ ſe ferens, non in rugas cōtracta, quod eſt ſenij: non mobilis, quod eſt erinaciorum: non torua, quod eſt taurorum.*

Scholia. *Frons item hilaris.*] Nobilis eſt ſententia ueterum ſophorum, quam Medaurēſis philoſophus refert, liberū ſcilicet hominem, & qui magnificus cenſeri cupit, ſi queat, in primori fronte animum geſtare. *Et explanata*] Hilaritatis ſignum eſt, frons exporrecta: vt iuſtitiæ cōtracta. Iuuenalis:

Scire velim, quare toties mihi, Neuole, triſtis
Occurras fronte contracta.

Contra fronsta. Amphis quoque comicus apud Laërtiū. ὡς οὐδὲν ἡσθα, πλὴν σκυθρωπάζειν μόνον, ὥπερ

ὥσπερ κοχλίας, σέμνος, ἐπηρκὼς τὰς ὀφρῦς Id est, vt nihil aliud nosti quàm tristem esse solum: instar cochleæ cogitabundus, cōtracta fronte. Aristophanes in Lysistrata, τοξοποιεῖν τὰς ὀφρῦς, dixit, metaphora sumpta ab arcubus, quos cùm intendimus, incuruamus, & quasi corrugamus: μὴ σκυθρώπαζ' ὦ τέκνον, οὐ γὰρ πρέπει σοι τοξοποιεῖν τὰς ὀφρῦς. Ne sis tristis nate, indecorū tibi est corrugare frontem. *Quod est senij.*] Hinc a Poëtis senectus rugosa appellatur. *Non mobilis, quod est erinaciorū.*] Erinacius a Gręcis ἐχῖνος appellatur: hic inter omnia animalia solus frontem mobilem habet: vallatus vndiq; spinosis aculeis est. Plin. huius animalis calliditatē in venando cibo mirabilem prodit: etenim volutantes supra poma iacentia spinis affixa, vnū non amplius tenēs portat in cauernas arborū. Idē testatur Epigrāma illud incerti auctoris. Erinacius.

Κώμαυλος τὸν ἐχῖνον ἰδὼν ἐπὶ νῶτα φέροντα ῥάγας, ἀπέκτεινεν τοῦδ' ἐπὶ θειλοπέδῳ.

Rusticus intuitus dorso vectare racemos,
Mox prope torcular cædit erinacium.

Est & piscis marinus hoc nomiue. *Quod est taurorum.*] Magni nominis grāmatici taurum a toruitate frontis dictum volūt:

sed reclamat ταῦρος Græca vox: melius qui a tauro torum & toruitatē declināt: sed hoc οὐδὲν πρὸς Διόνυσον.

Textus. *Naribus absit mucoris purulentia, quod est sordidorum. id quoque vitiū Socrati philosopho datum est probro. Pilco aut veste emungi, rusticanum: brachio, cubitoue, salsamentariorum: nec multo ciuilius id manu fieri, si mox pituitā vesti illinas. Strophiolis excipere narium recrementa decorum, idque paulisper auerso corpore, si qui adsint honoratiores. Si quid in solum deiectum est, emuncto duobus digitis naso, mox pede proterendum est. Indecorum est subinde cum sonitu spirare naribus, bilis indicium est. Turpius etiam ducere ronchos, quod est furiosorum, si modo fiat vsu. Nam spiritosis quilaborant orthopnæa, danda est venia. Ridiculum naribus vocem emittere, nam id cornicinum est, & elephantorum. Crispare nasum irrisorum est, & sannionū. Si alijs præsentibus incidat sternutatio, ciuile est corpus auertere. Mox vbi se remiserit impetus, signare se crucis imagine: dein sublato pilco resalutatis qui salutarunt vel salutare debuerant (nam sternutatio quemadmodum oscitatio sensum aurium prorsus aufert) precari veniam, aut agere gratias. Alterum in sternutamento salutare, religiosum, & si plures adsint natu*

maio-

maiores, qui ſalutent virum aut fœminam honorabilem, pueri eſt aperire caput. Porrò vocis tinnitum ſtudio intendere, aut data opera ſternutamentum iterare, nimirum ad virium oſtentationem, nugonum eſt. Reprimere ſonitum quem natura fert, ineptorum eſt, qui plus tribuunt ciuilitati quam ſaluti.

Socrati datum eſt probro] Thraſimachus apud Platonem libro de republica primo: Socrati ſtuporem obijciens, optat illi nutricem, quæ nares illius extergat: ῥῖσε, ἔφη, κορύζοντα περιορᾷ, καὶ οὐκ ἀπομύττει δεόμενον αὐτῆς. Quia te inquit, muco oppletum non animaduertit, nec emungit, cum tamē ea indigeas. Verum hoc vitij non a natura erat, ſed maxima ſibi patientia conciliauerat, vt qui in acutiſſimo gelu, & pruina glacieq; albicāte nudis pedibus, aperto capite, & quotidiano veſtitui nihil accedente glaciem premeret. Quod illi & ab Ariſtophane obijcitur in nubibus: κ' ἀνυπόδητος καὶκὰ πολλ' ἀνέχει. Id eſt, & diſcalciatus mala multa tolerat. Scholia. Socrates mucoſus.

Salſamentariorum] In Chiliadibus Eraſini, prouerbium Cubito ſe emungere, a ſalſamentarijs ductū docet: quibus mos eſt narium mucum cubito abſtergere, nimirum manibus muria & ſalſugine oppletis. Salſamentarij cubito ſe emūgunt.

Pituitam veſti illinas.] Inter mucum & pituitam parũ differentiæ eſt, niſi quòd mucum craſſiores, pituitã fluidas magis ſordes interpretantur. Catullus Poëta in epigrãmate ad Furium diſcernit ea, atq; inter præcipuas munditias retulit.

Mucus. Pituita.

A te ſudor abeſt, abeſt ſaliua,
Mucusq; & mala pituita naſi.

Græci modo μύξαν, modo κόρυζαν, è frigore diſtillantem in nares humorem appellant: & ἄμυξον, hominẽ mundas nares habentẽ, πολύμυξον econtra, ſordidũ. *Strophiolis excipere*.] Strophium & ſtrophyolum, ſudarium & ſudariolũ, linteũ & linteolum, confundunt paſſim Latini ſcriptores, pro eo quod Græcis dicitur καταιθρώτιον, apud Heſychiũ καταιθρέτιον habetur nõ ſine menda. στρόφιον autẽ, vt indicant meliora Græcorum lexica, cinguli genus eſt. *Cum ſonitu ſpirare naribus*] Et in naribus iracundiæ indicia eſſe, Perſiano illo probari poterit. Ira cadat naſo rugoſaq; ſanna. Animalia vehemẽter ſpirantia iram concepiſſe, quotidiano experimento diſcimus. Et Poëta de equo claſſicum audiente:

Stare loco neſcit, micat auribus, & tremit artus, Collectumq; premens, voluit ſub naribus ignem.

Vide

Vide plura in hanc ſententiam apud Eraſmū in Chiliadibus: Fames & mo ra, bilem in naſum conciunt. *Si modò fiat vſu.*]Nam ſtertentibus cōdonanda venia. Rōchus autē verbale eſt a ῥέγχω, quod eſt inter dormiendū vocē emitto. Mar.li.3. Ronchus.

Nos accubamus,& ſilentium ronchis
Pręſtare iuſſi, nutibus propinamus.

Spiritoſis] Spiritoſi ſūt qui ob facultates naturales leſas, frequētes trahunt ſpiritus, vocātur & ſuſpirioſi: Græci ἀσθματικοὶς appellāt. Orthopnœa autē ſpecies eſt ſuſpirij, quū niſi recta ceruice maximaq; difficultate ſpiritꝰ trahitur: ab ὀρθὸν, quod erectū ſignificat, & πνέφ, ſpirare. Spiritoſi. Orthopnœa.

Cornicinū eſt.] Siquidē qui cornu canūt, buccis cornu occupatis, ſpiritū per nares ducere coguntur. *Et elephātorū*] Auctore Plin. li.11.ca.50. Elephas circa nares ore ipſo ſternutamēto ſimilē elidit ſonū, per nares autē tubarū raucitati. Alibi idē auctor elephantū proboſcide ſpirare prodidit, quā ipſe manum vocat. Mandunt ore inquit, ſpirant & bibunt, odorantq; haud impropriè appellata manu. *Criſpare naſum*] Criſpare naſum dixit, pro eo, quod Græci μυκτηρίζειν in eodem ſenſu dicūt. Perſius hinc rugoſam ſannā finxit. Quod autē naribus quempiā deridere poſſimus,

lege prouerbiũ, Naſo ſuſpendere. *Senſũ auriũ prorſ⁹ auferre*] In ſternutatione cõmouentur, & perturbantur organa auriũ, ſonitus quoq; maior eſt quàm quicquam audiatur. In oſcitatione maxillæ diducte auditum comprehendunt. Lege Ariſtotelem Problemate, 29. & 44. ſectionis decimæ tertiæ. *Alterũ in ſternutamento*] Plinius lib. 8. cap. 2. quo loco diſquirit, num in medendo ſit aliqua vis verborum, inter alia etiam quærit, cur ſternutantes ſalutemus? & mox adijcit. Aliquibus nomine quoque conſalutare religioſius videri.

Textus. *Malus tingat natiuus & ingenuus pudor, non fucus aut aſcititius color. Quanquam is quoq; pudor ſic temperandus eſt, vt nec vertatur in improbitatẽ, nec adducat* Δυσωπίαν, *aut ſtuporem, & quartum, vt habet prouerbium, inſaniæ gradum. Quibuſdam enim hic affectus tam impotens inſitus eſt, vt reddat deliranti ſimillimum. Temperatur hoc malum, ſi puer inter maiores aſſueſcat viuere, & comœdijs agendis exerceatur. Inflare buccas faſtus indicium eſt: eaſdem demittere, eſt animum deſpondentis: alterum ſaimi eſt, alterum Iudæ proditoris.*

Scholia. Δυσωπίαν] Id eſt, inutilem & turpẽ pudorem. Δυσωπίαν ita Plutarchus παρὰ Δυσω-

δυσωπίας describit: ὡς τὴν κατήφειαν ἐρίζονται λύπην καταβλέπειν ποιοῦσαν, οὕτω τὴν αἰσχυντηλίαν μέχρι τοῦ μηδὲν ἀντιβλέπειν τοῖς δεομένοις ὑπεικοῦσαν, δυσωπίαν, Id est. Quemadmodum κατήφειαν tristitiam cum vultus demissione definiunt, ita verecundiam cum quispiã non audet in faciem illorum quos oportebat respicere, δυσωπίαν nominarunt, voce cõposita, ex ὤψ id est aspectu, & δυς particula, quæ difficultatem notat: *Et quartum, vt habet prouerbiũ, insaniæ gradũ*] Erasmus in epistola quadã, de dysopia, ita scribit, quo loco obiter huius prouerbij meminit. Nulla vitia grauiorem afferunt perniciem, quàm quæ virtutis specie fucantur. Quorum de genere est immodica uerecundia, quã Græci vocant δυσωπίαν. Atq; hoc noxiũ germẽ optimis quibusq; ac generosissimis ingenijs potissimum innascitur, quod si vi tentes euellere, succedit aliud nocentius: si relinquas, multam malorum vim secum inuehit. Cæterum si cauta moderatione corrigas, optimus est innocẽtiæ custos, ac virtutũ omniũ velut ornamẽtũ. Et rectè quidẽ Aristoteles negat pudorẽ esse virtutem, sed in adolescẽtibus actionem probã, bonæq; spei indolem arguentem. Ita comicus ille senex.

Erubuit

Erubuit, ſalua res eſt. Verum is ſi immodicus ſit, celat vitia, ne poſſint ſanari, quēadmodum ſcripſit Flaccus: Incurata malus pudor vlcera celat. Et Plato cenſet hunc affectū largioribus inuitatiunculis excutiendum. Obſtupefacit enim ingenij vigorē. Vnde priſci primum inſaniæ gradum, quē gignere dicitur, ſtrychnum drachmę pondere potū luſū pudoris vocauerunt. Nec rarum eſt cernere quoſdā huiuſmodi pudore ſic delirantes, vt mens abeſſe videatur. Videplura in prouerbio ſtrychnum bibit. *Inflare buccas, faſtus indicium eſt*] Vel Suida teſte γνάθους φυσῶντες ἐπὶ τῶν ἀλαζόνων καὶ ὑπεροπτικῶν. i. Buccas inflantes de arrogantibus, ſuperbis, & faſtuoſis dicitur.

Malus pudor.

Stupida verecunda.

Inflare buccas.

Textus.

Os nec prematur, quod eſt metuentis alterius halitū haurire: nec hiet, quod eſt morionum, ſed leuiter oſculantibus ſe mutuo labris coniunctum ſit. Minus etiā decorum eſt ſubinde porrectis labijs, veluti poppyſmū facere, quanquam id magnatibus adultis per mediā turbam incedentibus condonandum eſt: illos enim decent omnia, nos puerum formamus.

Nec hiet, quod eſt morionū.] Græci omnes ſtupidos & moriones māmachuthos vocare ſolent, a Māmacutho quodam fatuitate ſola nobili, quem hiante ſemper ore

Scholia. Mammacuthi.

ore fuisse ex Aristophane cognoscimus, nam ille κεχηνότα μαμμάκεθον.i. hiantē Mammacuthum facit. *Porrectis labris veluti popysmum facere*] ποππυσμὸς & πόππυσμα, est propriè sibilus ille oris & plausus manus concauę, qua leniter sonando, equos indomitos mansuefacimus, παρὰ τὸ ποππύζειν, quod est tenuissimam edere vocem, & cum stridore inflare labra. Est autem fictū a sono. Sumitur quādoq; pro leniter inflare tibias calamosq;, ac instar puerorum arundine cantantium sonare. Theocritus in Heodeporico. Poppysmum.

Τί δ' οὐκ ἔτι σὺν κορυδῶνι
Αρκεῖ σοι καλάμας αὐλὸν ποππύσδεν ἔχοντι. An non tibi cum Corydone Cōpositis satis est tibijs stridere Menalca Vide Politiani Miscellania cap.32.

Si fors vrgeat sternutatio, nec datur auerti aut cedere, strophio volaué tegatur os, mox imagine crucis obsignetur. Omnibus dictis aut factis arridere, stultorum est: nullis arridere stupidorum: Obscœnè dictis aut factis arridere, nequitia est. Cachinnus & immodicus ille totum corpus quatiens risus, quem ob id Græci συγκρούσιον appellant, nulli decoris est ætati, nedum pueritiæ. Dedecet autem quod quidam ridentes hinnitum ædunt. Indecorus & ille, qui oris rictum latè diducit Textus.

corru-

gatis bu:cis nec nudatis dentibus, qui caninus eſt, & Sardonius dicitur. Sic autem vultus hilaritatem exprimat, vt nec oris habitum dehoneſtet, nec animum diſſolutum arguat. Stultorũ illæ voces ſunt, riſu diffluo, riſu diſſilio, riſu emorior: & ſi quæ res adeò ridicula incideret, vt nolentibus eiuſmodi riſũ exprimat, mappa, manuue tegẽda facies. Solum, aut nullam euidentem ob cauſam ridere, vel ſtultitiæ tribuitur, vel inſaniæ. Si quid tamen eiuſmodi fuerit obortum, ciuilitatis erit, aliis aperiri riſus cauſam, aut ſi non putes proferendam; commentitium aliquid adferre, ne quis ſe derideri ſuſpicetur. Superioribus dentibus labrum inferius premere, inurbanũ eſt, hic enim eſt minantis geſtus: quẽadmodum, & inferioribus mordere ſuperius. Quin & labrorum oras lingua circumuoluta ſubinde lambere, ineptum: porrectioribus eſſe labris, & velut ad ŏſculũ cõpoſitis, olim apud Germanos fuiſſe blandum, indicant illorũ picturæ: porrecta lingua deridere quenquam, ſcurrile eſt.

Auerſus exſputo ne quem conſpuas aſpergaſue. Si quid purulentius in terram reiectum erit, pede, vt dixi, proteratur, ne cui nauſeam moueat, Id ſi nõ licet, linteolo ſputũ excipito. Reſolbere ſaluam inurbanum eſt, quemadmodum & illud quod quoſdam videmus

mus non ex neceſſitate, ſed ex vſu ad tertium quódque uerbum expuere. Quidam indecorè ſubtuſſiunt identidẽ inter loquendũ, idq́, non ex neceſſitate, ſed ex more: is geſtus eſt mentientium, & inter dicendum quid dicant commiſcentium. Alij minus etiam decore ad tertium quodque verbum eructãt; Quæ res ſi a teneris annis abierit in conſuetudinem, hæret etiam in grandiorem ætatem. Idem ſentiendum de ſcreatu, quibus nominibus a ſeruo notatur Terentianus Clitipho. Si tuſſis vrgeat, caue ne cui in os tuſſias, & abſit ineptia clarius tuſſiendi, quam natura poſtulet. Vomiturus ſecede: nam vomere turpe non eſt, ſed ingluuie vomitum accerſere, deforme eſt.

Quem ob id Græci συγκρούσιον] συγκρόσιος ſonat, ſi quis verbum verbo reddere tentet, concuſſorius. παρὰ τὸ συγκρούομαι. De hoc riſu ſic in collectaneis Didymi & Tharrhæi, γέλως συγκρούσιος ἅπαντος παρ' ἔσον τινες γελῶντες τὰς χεῖρας ἢ τοὺς πόδας συγκρούουσι. Id eſt, Riſus ſyncruſius, incompoſitus, & indecorus, Quod quidam inter ridendum manus aut̃ pedes concutiunt. Hunc riſũ, & quemuis inornatum, Catullus ineptũ vocat in Epigram. ad Egna. Scholia. Riſus ſyncruſius.

Nam riſu, inquit, inepto, res ineptior nulla eſt

nulla est. *Qui caninus est, & Sardonius dicitur*] De hoc risu multa & doctissima Erasmus in Chiliadibus. Ceterum omnes quotquot hanc paroemiā exponunt, Sardonij etymon etiam ἀπο τȣ̃ σεσηρέναι τοῖς ὀδȣ̃σι deducūt, hoc est, hiante & diducto ore dentes ostēdere, quales illi qui fictè, & nō ex animo, sed προσποιητῶς rident. Talis Eunicæ meritriculę apud Theocritum: sic enim queritur pastor Idyllio. 24.

Risus Sardonius.

Κάι τι σεσαρὸς καὶ σοβαρόν μ' ἐγέλαξε. i.

Et simulate, Et fastu me derisit.

A canibus ducta metaphora, quibus hoc irę indicium est nudare scilicet dentes. *Stultorum illæ voces sunt, risu defluo.*] Vide Adagiorum Chialides. Emori risu. *Mappa manuuè tegenda facies.*] Solent qui vehementius rident, quàm compescere risū possint, mappā in ore ponere. Horatius:

Varius mappa compescere risum
Vix poterat.

Solum, aut nullam euidentem ob causam,] Iuxta senarium illum græcanicum:

Γελᾶ δ' ὁ μωρός κἂν τιν μὴ γελοῖον ᾖ. i.

Ridet stultus, licet nil sit risu dignum:

Aperire risus causam.] Quemadmodū apud Comicū Chremes Menedemo subiti sui cachinni causā interrogāti aperuit.

Chre.

Chre. Aha, ha, he. Men, quid risisti? Chre. Serui venere in mentem calliditates Syri.

Labrum inferius.] Ineptū est quod Grāmatici quidā docēt labrum esse superius, labium inferius, nam contrariū non vno loco apud Plin. reperias: hoc adiungere placuit, vt hic cesset διαφολή. Labrum.

Et inferioribus mordere superius.] Vide prouerbium, mordere labrum. *Quin & labrorum oras.*] Docet hoc turpe & indecorum esse Quintilianus in li. 11. cap. 3. *Porrectioribus esse labris.*] Nec hic gestus a Fabio probatur libro eodē: Labra, inquit, & porriguntur malè & scinduntur, astringuntur, & diducuntur, & dentes nudant. *In gestu est mentientium.*] Vnde illud Apulei in Hippiam: Moram mendax expetit, tussit ergo Hippias. *Enter dicendum quid dicant comminiscentium.*] Perplexitatis signum tussis simulata est. Probat hoc paroemia quædā recentior, sed quam vetustissimis nō iniquè cōparaueris: citatur in Didymi & Tharræi collectaneis, nec explicatur: ἀπορία ἡ φάλσου βῆξ, id est. Hæsitatio cantoris tussis. Quo significatur gestus is qui frequens admodum inter cantores, nec eos bene exercitatos esse solet, cùm extibiatum animum simulatione tussis reconcinnāt. *Notatur Terentianus Clitipho:*] Est in Heautontimorumeno, vbi Hæsitatio cantoris tussis.

Syrus ſeruulus Clitiphonem monet, ne vitijs & malis geſtibus quibus aſſueuit, patre præſente amorem ſuum in Bacchidem patefaciat, verba Syri ſunt:

Sed heus tu vide ſis: ne quid imprudēs ruas,
Patrē nouiſti ad has res quàm ſit perſpicax:
Ego autē te noui quàm ſoleas eſſe impotēs:
Inuerſa verba, euerſās cēruices tuas,
Gemitus, ſecreatus, tuſſeis, riſus abſtine.

Textus. *Dentium mundities curanda eſt, verum eos puluiſculo candidare puellarum eſt, ſale aut alumine defricare, gingiuæ perniciosum. Idem lotio facere Iberorū eſt. Si quid inhæſit dentibus, non cultello, non vnguibus, canū, felisue more, non mantili eximendum eſt: ſed vel lentiſci cuſpide, vel oſſiculis e gallorum aut gallinarum tibijs detractis. Os mane pura aqua proluere & vrbanum eſt & ſalubre, ſubinde id facere ineptum. De linguæ vſu dicemus ſuo in loco.*

Scholia. *Verum eos puluiſculo candidare.*] Qualem ſcilicet miſerat Calphurniano Apuleius: carmen quia lepidum eſt, adſcribendum duxi ex Apologia magię.

Calphurniane ſalue properis verſibus.
Miſi, vt petiſti munditias dentium,
Nitellas oris ex Arabicis frugibus,
Tenuem, candidum, nobilem puluiſculum,
Complanatorem tumidulæ gingiuulæ,
Conuerritorem pridianæ reliquiæ,

Ne

Ne qua uiſatur tetra labes ſordium,
Reſtrictis fortè ſi labellis riſeris.

Sunt autem multa puluïſculorum genera ad hunc vſum reperta, quale eſt, quod a cornu cerui exuſto ſit apud Dioſcoridem. Et puluis pumicis apud Pliniũ, & alia multa. *Sale aut alumine friſare gingiuæ pernicioſum.*] Sanis quidem gingiuis id admodum pernicioſum eſt, ſed affectis medicaminis vice erit ſal & alumen. Lege caput ſeptuageſimum, & ſeptuageſimum ſeptimum, libri quinti apud Dioſcoridem. & Plin. libri trigeſimi primi capite nono. *Idem lotio facere Iberorũ eſt:*] Teſtatur hoc Strabo Geographiæ ſuæ lib. tertio, vbi de Iberis ſcribit, ſed quid nocebit ipſa auctoris verba ſubſcribere? Ἡ μὲν παρωκεανῖτις ἡ Γρόσβορος ἀμάρει διὰ τὰ ψύχη. ἡ δ' ἄλλη δ' πλέον, διὰ τὴν ὀλιγωρίαν τῶν ἀνθρώπων, καὶ τὸ μὴ πρὸς διαγωγὴν, ἀλλὰ μᾶλλον πρὸς ἀνάγκην καὶ ὁρμὴν θεριώδη μετὰ ἔθους φάυλου ζῆν, εἰ μή τις οἴεται πρὸς διαγωγὴν ζῆν, τοῦ, οὐρῷ λουμένους ἐν δεξαμέναις παλαιουμένῳ, κατὰ τοῦ ὀδόντος σμηχομένους, καὶ αὐτοὺς κατὰ τὰς γυναῖκας αὐτῶν, καθάπερ τοῦ Καντάβρους φασὶ καὶ τοῦ ὁμόρους αὐτοῖς. Hoc eſt: Quæ verò ad Oceanum vergit & Borealis pars eſt: propter frigora rebus indiget.

Dentifricij varia genera.

Iberorum ſordes.

Reliqua autē ad hoc amplius, propter hominum iucuriam & negligentiam, & quòd nullam inſtutionem amplexantes, ferinis affectionibus, peſſimiſq; moribus vitā ducunt. Niſi quiſpiam eos rectum vitę inſtitutum ſequi putauerit, qui lauacra ex lotio in cloacis aliquandiu retento ſibi faciant. Quiq; ſibijpſis ſuiſq; vxoribus dentes ita candidant, quemadmodū & Cantabros, cōfineſq; illis gentes factitare fama eſt. Et Apuleius libro primo Apologię magię idem teſtatur. Niſi forte inquit in eo reprehendendus ſum, quod Calphurniano puluiſculum ex Arabicis frugibus miſerim, quę multo æquius erat ſpurciſſimo ritu Iberorum, vt ait Catullus, ſua ſibi vina dentē, atq; ruffam pumicare gingiuam. Carmen ſcriptum eſt in Egnatium, quod ob elegantiam & Epigrammatis leporem, totum ad ſcribendum duxi.

Egnatius quod candidos habet dentes,
Renidet vſq; quaq;, ſeu ad rei ventum eſt
Subſellium, cum orator excitat fletum.
Renidet ille, ſeu pij ad rogum filij
Lugetur, orba cum flet vnicum mater.
Renidet ille, quicquid eſt, vbicunq; eſt,
Quod cūq; agit, renidet: hunc habet morbū
Neq; elegantem, vt arbitror, neq; vrbanū.
Quare monendus es mihi bone Egnati,

Tu

Tu præter omneis vne de capillatis
Cuniculosæ Celtiberiæ fili.
Egnati, opaca quem bonum facit barba:
Et dens Hibera defricatus vrina.
Si vrbanus esses, aut Sabinus, aut Tiburs,
Aut parcus Vmber, aut obesus Hetruscus,
Aut Lannuuinus acer, atq; dentatus,
Aut Trāspadanus (vt meos quoque atingā)
Aut quilibet qui puriter lauit dentes:
Tamen renidere vsque quaque te nollem:
Nam risu inepto res ineptior nulla est.
Nunc Celtiberus Celtiberia in terra,
Quod quisque minxit, hoc tibi solet mane
Dentem atque ruffam defricare gingiuam:
Vt quo iste vester expolitior dens est,
Hoc te amplius bibisse prædicet lotij.

Lentisci cuspide.] E lentisco frutice dentiscalpium fiebat, fricandis & terendis dentibus, & a cibo purgandis aptum. Dioscorides li. 1. cap. 77. sic habet, τὰ δὲ ξυλάρια χλωρὰ ἀντὶ καλαμίσκων παραβιβόμενα, τοῖς ὀδοῦσι σμήχει τούτους. Id est, Virides verò ligni particulæ pro arundinaceis cuspidibus fricatione purgant dentes. Solebant autem lentisco candidare dētes, vnde eos quibus plus satis comendi corporis studiū erat, σχινοβώκτας, id est, lentiscivoros vocabant, & prouerbium, Lentiscum mādere, in eosdem. vide Chiliades. *Vel penna.*] Cum de-

esset veteribus e lentisco dentifricium, rubentibus pennis sordes exterebant. Martialis epigrammatum tertio.

Stat exoletus, suggeritq; ructanti
Pennas rubentes, cuspidesq; lentisci.

Et in Apophoretis:

Lentiscū melius, sed si tibi frondea cuspis
Defuerit, dentes penna leuare potest.

Textus. *Rusticanū est, impexo esse capite, adsit mundities, non nitor puellaris. Absint sordes lendium & vermiculorum. Subinde scabere caput apud alios, parum decet, quemadmodum vnguibus reliquum fricare corpus, sordidum est. præsertim si fiat vsu, non necessitate. Coma nec frontem tegat, nec humeris inuolutet. Subinde concusso capite discutere capillitium, lasciuientium est equorum. Cæsariem a fronte in verticem læua torquere, parum elegans est: manu discriminare, modestius. Inflectere ceruicem & adducere scapulas, pigritiam arguit: resupinare corpus fastus indicium est, molliter erectum decet. Ceruix nec in læuum, nec in dextrum vergat, hypocriticum enim, nisi colloquium, aut aliud simile postulet. Humeros oportet æquo libramine temperare, non in morem antennarum alterum attollere, alterum deprimere. Nam huiusmodi gestus in pueris neglecti, vertuntur in naturam, & corporis habitū præter naturam deformant. Itaque qui præ desidia collegerunt con-*

consuetudinem inflectendi corpus, sibi gibbum conciliant, quem natura non dederat: & qui deflexũ in latus caput habere cõsueuerunt, in eum habitum indurescunt, vt adulti frustra mutare nitantur. Siquidem tenera corpuscula plantulis similia sunt, quæ in quãcunque speciẽ furca funiculoué deflexeris, ita crescunt & indurescũt. Vtrunq; brachiũ in tergũ detorquere, simul & pigritiæ speciem habet & furis: neque multo decentius est altera manu in alia iniecta, astare, sedereué, quod tamen quibusdam elegans ac militare videtur. At non statim honestũ est, quod multis placuit, sed quod naturæ & rationi consentaneum est. Reliqua dicentur, quum ad colloquiũ, & conuiuium ventum erit.

Non nitor puellaris.] Nec tales adolescentes vates Sulmonensis ferre vult. Scholia.

Sint procul a nobis iuuenes vt fœmina cõp
Fine coli modico forma virilis amat. (ti:

Non necessitate.] Necessitas est cùm scabie morboué aliquo locus affectus fricatur. Vbi enim dolemus, ibi ferè manum habere solemus. *Resupinare corpus*] excuruare thoracem & vt vulgò dicere solemus, protendere pectus. Solent apud veteres qui Deos precarentur, hoc pacto se resupinare, erecti stantes in summis digitorum pedibus. Martialis lib. 12.

Aethon in capitolio pepedit,

Multis dum precibus Iouem ſalutat,
Stans ſummos reſupinus vſque in vngueis.

Ceruix nec in læuum, nec in dextrum vergat] Hoc eſt, quod dixit Fabius: Ceruicem erectam eſſe oporret, non rigidam ac ſupinam, &c. *Hypocriticum enim*] Breuiatur namque ſic ceruix, & geſtum quendã humilem, atq; ſeruilem, & quaſi fraudulentum facit, cum ſe in habitum adulationis, admirationis, & metus fingunt. Hypocriticum autem omne vocamus, quod ſimulato animo fingitur. *Humeros oportet æquo libramine*] Et hoc cum Quintiliani præcepto conuenit, qui humerorum alleuationem, vt indecentem vituperat. *In morem antennarum*] Antenna lignum eſt tranſuerſum a malo nauis dependens, cui alligatur velũ quam Græci κέραιον vocant, id cornutum ſonat, quòd inſtar cornuum vtrunq; extenſũ ſit. Apollonius νεὼς σαύρον appellat, quod crucis ſimilitudinem ōnimode referat. *Itaq; qui præ deſidia*] Medici gibbum hunc ἠθικὸν. i. conſuetudinariũ vocant, quod non e natura ſit, ſed peruerſa, & longa conſuetudine concilietur. *Siquidẽ tenera corpuſcula*] Non diſſimilis eſt ab hoc ſimili Plutarchi ὁμοίωσις, καὶ καθάπερ τοὺς χάρακας οἱ γεωργοῦντες τοῖς φυτοῖς παραλιθέασιν· οὕτως οἱ νόμιμοι τῶν διδασκάλων ἐμμελῆς τὰς ὑποθήκας καὶ παρατάσεις παραπεγνύουσι

Pueri plantulis ſimiles.

γνύουσι τοῖς νέοις, ἵνα ὀρθὰ τούτων βλαστάνοι τὰ ἤθη, hoc est, Vt agricolæ vallos, furcasq; apponunt plantulis, vt in rectitudinem excrescant, sic qui instituit, addit monita, & præceptiones pueris, vt recte crescant eorũ mores. *Et furis.*] Fures namq; apud nostrates manibus retro in tergũ colligatis, ignominiose sic ad supplicium educuntur.

Membra, quibus natura pudorem addidit, retegere citra necessitatem, procul abesse debet ab indole liberali. Quin vbi necessitas huc cogit, tamen id quoque decente verecundia faciendũ est, etiam si nemo testis adsit. Nunquàm enim non adsunt Angeli, quibus in pueris gratissimus est pudicitiæ comes, custosqué pudor. Quorum autem conspectum oculis subducere pudicum est, ea multo minus oportet alieno præbere contactui: Lotium remorari, valetudini perniciosũ: secreto reddere, verecundum. Sunt qui præcipiunt, vt pueri compressis natibus ventris flatũ retineant. Atqui ciuile non est, dum vrbanus videri studes, morbum accersere. Si licet secedere, solus id faciat, sin minus. iuxta vetustissimum prouerbium, Tussi crepitum dissimulet. Alioqui cur non eadem opera præcipiunt ne aluum deijciant, quum remorari flatum periculosius sit, quàm aluũ stringere. Diductis genibus sedere, aut diuaricatis tibijs distortisué stare, Thrasonum est. Sedẽti coëant genua, stanti pe- Textus.

des, aut certe modicè diducantur. Quidam hoc gestu sedent, vt alteram tibiã altero genu suspendant, nonnulli stant decussatim compositis tibijs, quorum alterum est anxiorũ, alterum ineptorum. Dextro in lauum femur iniecto sedere, priscorum regum mos est, sed improbatus. Apud Italos quidã honoris gratia pedem alterũ altero premunt, vniq; propemodũ insistunt tibiæ ciconiarũ ritu, quod an pueros deceat, nescio. Itidẽ inflectẽdis genibus aliud apud alios decet, dedecetq;. Quidã vtrunque pariter inflectunt, idq; rursus alij recto corpore, alij nonnihil incuruato. Sunt qui hoc ceu muliebre rati, similiter recto corpore primũ dextrũ incuruãt genu, mox sinistrum, quod apud Britãnos in adolescentibus laudi datur. Galli modulato corporis circũactu dextrum duntaxat inflectunt. In his in quibus varietas nihil habet cum honesto pugnans, liberũ erit vernaculis vti moribus, vel alienis obsecundare, quando sunt quos magis capiant peregrina. Incessus nec fractus sit, nec præceps, quorũ alterũ est mollium, alterũ furiosorum: nec vacillans, quod a Fabio improbatur. Nam ineptam in incessu subclaudationem Suiceris militibus relinquamus, & ijs qui magnum ornamentũ ducunt, in pileo gestare plumas. Tametsi vidimus Episcopos hoc gestu sibi placere. Sedentem pedibus ludere, stultorũ est: quẽadmodũ & manibus gesticulari, parũ integræ mentis indicium est.

Mem-

Membra quibus natura] Cicero officiorum lib. 1. vbi decorum a verecundia tractat, sic de verecundia inter alia sanctissimè disserit. Quæ autem partes corporis ad naturæ necessitatẽ datę, aspectũ essent deformem habiturę, atque turpẽ formã, eas contexit atq; abdidit. Hanc naturę tam diligẽtem fabricam imitata est hominum verecundia, quæ enim natura occultauit, eadem qui sana mente sunt, remouent ab oculis, ipsiquẽ necessitati, dant operã, vt quàm occultissimè pareant. Hactenus Cicero. *Quin vbi necessitas hùc cogit*] Nihil aliud Hesiodus, versibus suis de lotio reddendo significâsse videtur, quàm verecũdiã, liberali puero quam maximè seruandam esse, extant libro primo ἔργων:

μητ' ἐν ὁδῷ, μήτ' ἐκτὸς ὁδοῦ προβάλλην εὐρεόυσης μήτ' ἀπογυμνωθείς. Hoc est

Inq; vijs, extraq; vias caue feceris vnquam progrediẽs lotiũ, vestis quoq; mẽbra reuelet

Lotium remorari.] Nam sic calculum gigni perhibent medicorum filij. *Morbum accersere*] Audi Coi senis de crepitu sentẽtiam libro προγνώσεων secundo: Si flatus sine crepitu sonituq; excernitur, optimus. Melius tamen est, vt erũpat cũ sonitu, quã si cõdatur, retineaturq;. Atq; adeo vtile hic fuerit deuorare pudorẽ, vt corpus redimas, & con-

Sholia.

Verecundia.

Crepitus retentus.

consilio omnium medicorum sic nates cõprimas, quemadmodum apud Epigrammatarium Aethon, qui quamuis in sacro sibi cauerit crepando, tamen compressis natibus Iouem salutabat. Parasitica, & illorum qui ad superciliũ stant, vox est. Didici comprimere nates. *Tussi crepitũ dissimulet.*] Tussire se simulant, qui pudoris gratia nolunt crepitum audiri. Lege Chiliad Tussis pro crepitu. *Quum remorari flatum perniciosius sit.*] Extant Nicarchi versus Epigram. lib. 2. ὡς πόρδηλῆρ, quibus pestiferam retenti crepitus vim describit: sed quia omnium manibus teruntur, non duxi adscribendos. *Diuaricatis tibijs*] Diuaricatas tibias habent, vt ex Nonio scire datur, qui vitio naturę ita sunt pedibus discretis, vt eos in diuersum habeant separatos. Ammianus, arcus extensos brachijs diuaricatis vocat. Fabius varicare in hoc sensu vtitur. Varicare supra modum in stando deforme est, & accedente motu quopiam obscœnum.

Diuaricatæ tibiæ.

Thrasonum est] Militarem hunc gestũ fortassis & Persius notauit, cum centuriones varicosos vocat, non quod varices habuerint, sed quia hoc gestu tanquam varicibus affecti sibi placuerint. *Quidam hoc gestu sedent.*] Quos sic notat Quintilianus. Male etiam in sinistrum pedem insistentiũ, dex-

ter

ter aut attollitur, aut ſummis digitis ſuſpenditur. *Dextro pede in læuum femur*.] Hunc geſtum in conſilijs ducum poteſtatumué a maioribus damnatũ, quod crederetur omnem actum impedire, Plinius ſcribit lib. 28. cap. 6. *Galli modulato corporis*.] Hanc conſuetudinem a maioribus tanquã per manus traditam Galli etiam nũc ſeruant, ſed olim in alium vſum nimirum deorum adorationibus, vt in Plin. legimus. *Inceſſus nec fractus ſit nec præceps*.] Cicero Officiorum li. 1. Cauendum autem eſt, ne aut tarditatibus vtamur in greſſu mollioribus, vt pomparũ ferculis ſimiles eſſe videamur: aut in feſtinationibus ſuſcipiamus nimias celeritates, quæ cum fiunt, anhelitus mouentur: vultus mutantur, ora torquentur, ex quibus magna ſignificatio fit, non adeſſe conſtantiam. *Nec vacillans, quod a Fabio*.] Libro vndecimo capite tertio. Eſt & illa indecora in dextrum ac læuum latus vacillatio alternis pedibus inſiſtentiũ. *In pileo geſtare plumas*.] Auctor eſt Varro, inſignitos milites in pileo pennas geſtare ſolitos fuiſſe. Et apud Lucianum meretrix quædam milites deſcriptura, criſtas quatiẽtes, & pugnas narrantes illos vocauit. *Sedentem pedibus ludere*.] His notis Sapiens rex in parabolis dementem & inſanum depinxit. Oculis, inquit,

quit, annuit, signa dat pedibus, manib⁹ gesticulatur, peruerso corde mala machinatur.

DE CVLTV.

Textus. *IN summa dictũ est de corpore, nunc de cultu paucis, eò quod vestis quodammodo corporis corpus est, & ex hac quoque licet habitum animi conijcere. Quanquam hic certus præscribi modus non potest, eò quòd nõ omnium par est, vel fortuna vel dignitas, nec apud omnes nationes eadem decora: postremò nec omnibus seculis eadem placent, displicentué. Vnde quemadmodum in alijs multis, ita hic quoque nonnihil tribuendum est, iuxta prouerbium* νόμῳ καὶ χώρᾳ *atque etiam* καιρῷ *cui seruire iubent sapientes. Et tamen in hisce varietatibus, quod per se sit honestum, aut secus: velut illæ quæ nullum habent vsum, cui paratur vestis. Prolixas trahere caudas, in fœminis ridetur, in viris improbatur: an Cardinales & Episcopos deceat, alijs æstimandum relinquo. Mulctitia nunquàm non probro data sunt, tum viris, tum fœminis: quandoquidem hic est alter vestis vsus, vt ea tegat, quæ impudicè ostenduntur oculis hominũ. Olim habebatur parum virile, discinctum esse, nunc idem nemini vitio vertitur, quod induſus, subuculis, & caligis repertis tegantur pudenda, etiam si diffluat tunica. Alioqui vestis breuior, quam vt inclinanti tegat parteis, quibus debetur honos, nusquã non inhonesta est. Dissecare*

ves-

vestem, amentium est: picturatis ac versiculoribus vti, morionum est ac simiarum. Ergo pro modo facultatum ac dignitatis, proqué regione & more adsit cultui mundities, nec sordibus notabilis, nec luxum, aut lasciuiam, aut faustum præ se ferens. Neglectior cultus decet adolescentes, sed citra immunditiem. Indecorè quidam interularum ac tunicarum oras, aspergine lotij pingunt, aut sinum brachialiaq; in decoro tectorio incrustant, non gypso, sed narium & oris pituita. Sunt quibus vestis in alterum latus defluit, alijs in tergum ad renes vsqué: nec desunt quibus hoc videatur elegans. Vt totum corporis habitum mundum & compositum esse decet: ita decet illum corpori congruere. Si quid elegantioris cultus dedêre parentes, ne te ipsum reflexis oculis contemplare, nec gaudio gestias, alijsqué ostentes: nam alterum simiarũ, alterum pauonum, mirentur alij, tu te bene cultum esse nescias. Quò maior est fortuna, hoc est amabilior modestia. Tenuioribus in conditionis solatium concedendum est vt moderaté sibi placeãt. At diues ostẽtans splẽdorẽ amictus, alijs suã exprobrat miseriam, sibiq; conflat inuidiã.

Quod vestis quodãmuodo.] Lege prouerbiũ in Chiliad. Vestis virum facit. *Habitum animi conijcere.*] Facit huc Actij illud apud Noniũ: Discincta vestis, discinctus animus, ne nega: Νόμῳ κοὐ χώρα atq; etiã κοὐρῶ.] Scholia.

Id

Seruire legi, regioni, & tempori.

Id est, legi & regioni, & tempori. Consule Chiliad. Lex & regio. Et: Nosce tempus. Citatur a Pindari interprete ex Antiphane senarius quidam, quem etiam inter Græcorum sententias offendi.

Νόμοις ἕπεσθαι τοῖσιν ἐγχώροις καλόν

i. leges suis regionibus proprias sequi pulchrum. Socrates, vt auctor est Laërtius, tempori interdum seruiens, venustiori habitu amiciebatur, vtin Platonis symposio ad Agathonē profectus, multum alioquin circa vestes negligens. *Prolixas trahere caudas.*] Mollitiem arguit huiusmodi vestis, vnde mulieribus vt pote mollibus frequentius apud auctores adscribitur, quam viris. Siquidem frequens est apud Homerum Epitheton ἑλκεχιτῶνες. Atq; etiam cum viros vt imbelles & solutos notet, ἑλκεσιπέπλους vocat, vt Ili. χ. vbi commune est & viris, & fœminis.

Αἰδέομαι Τρῶας Τρωιάδας ἑλκεσιπέπλους. i. Vereor Troianos Troianas vestes trahētes.

Quid dicam, quod huiusmodi vestibus vtentes ἀζώστους, i. discinctos grammatici appellant. *Mulctitia nunquam non probro*] Nō constat inter grāmaticos de Mulctitia. Hic tunicas e molli lana confectas, ab eò quòd mulceantur, hoc est, eliciantur dici vult. Illi magis placet a mollicie deducere. Alius a mul-

Mulctitia

mulcendo appellatas censet, quòd suauitate sua demulceāt,& vestes e serico textas interpretatur. Sunt etiam quibus hæc bōbicem Coam significare videatur, de qua Plin.li.11.cap. 22. Hoc certum est, mollissimas fuisse vestes, mollibus quoq; gratissimas.Nō enim Iuue.sat.2.tam acriter carpsisset,nisi viris indecora iudicasset

Sed quid non facient alij,cum tu mulctia sumas Cretice? Et mox: Quæro an deceat mulctitia?

Alter vestis vsus] Alter, vt nos a tēpestatibus,frigore & cæli iniuria defēdat.

Olim habebatur parum virile] Malè passim apud omnes auctores ἄζωστοι, hoc est,discincti audiunt,nunc enim mollis & soluti hominis indicium est,ut cum signum a discincto peteretur,hoc est,molli Mecœnate,qui absente Cęsare eius munere fungebatur. Et Seneca in epist. 115. testatur hunc solutis tunicis semper in vrbem incessisse: nunc desidiosi & ignaui, hinc illud apud Persium.Non pudet ad morem discincti viuere Nacæ? Atque adeo ignominiosum erat apud veteres discinctum esse, vt duces delinquentes quandoque milites hac ignominia affecerint. Quemadmodum D. Augustinus, qui pro delictis, milites discinctos ante prætorium per

totum diem stare iubebat. Hæc Lucullus in fugitiuos quosdam milites animaduertit, vt auctor est Plutarchus in vita illius. Ατιμίαν τινὰ τοῖς φεύγουσι νενομισμένην προσέβαλε, κελεύσας ἐν χιτῶσιν ἀζώστοις ὀρύξαι διώρυχα ποδῶν τάφρον, ἐπισώτων καὶ θεωμένων τῶν ἄλλων στρατιωτῶν: hoc est ignominia quadam quam excogitauerat, fugitiuos affecit, cogens eos tunicis discinctis, vallum duodecim pedum fodere inspiciencibus & astantibus alijs cõmilitonibus. Adde quod Romani victos & quos captiuos ducebant, discinctos sub iugum transire cogebant. Id memini me legere apud Festum Pompeium in dictione, iugum. *Alioqui vestis breuior*] Horatius in vestibus quoque mediocritatem laudat. Non enim illi placet Malthinus tunicis demissis, neque iterum is qui Inguen ad obscœnum subductus erat. Ciceroni etiam mediocritas hæc optima est. *Alterum est simiarum*] Mirum est quàm hoc animal gaudeat ad humanum exornari morem. *Alterum est pauorum*] Plinius lib. 10. cap. 20. In his pauonum genus cùm forma, tùm intellectu eius & gloria. Gemmantes laudatus expandit colores, aduerso maximè sole, quia sic fulgentius radiant. Simul vmbræ quosdam

dam repercussus cęteris, qui in opaco clarius micant, conchata quærit cauda: omnesq; in aceruum contrahit pennarum, quos spectari gaudet, oculos. Et Ouidius,

Laudatas ostendit auis Iunonia pennas.

Sibi conflat inuidam] Ostentabat & suas ἐυανθεῖς ac pretiosas vestes apud Atheniẽses diues ille Lucianicus in Nigrino, sed audi quibus scommatibus exceptus à ciuibus est. ἤδη ἔαρ, inquiũt, κατὰ ποθεν ὁ τήως οὗτος: τάχα τῆς μητρὸς ἐστιν αὐτου, &c. Id est, iam ver est, & vnde nobis pauo hic? & fortasse matris suæ vestis est.

DE MORIBVS IN TEMPLO.

Quoties fores templi præterieris, nudato caput, ac modicè flexis genibus, & ad sacra verso vultu, CHRISTVM Diuosq; salutato. Idem & aliàs faciendũ siue in vrbe, siue in agris, quoties occurrit imago crucis. Per ædem sacram ne transiêris, nisi simili religione saltem breui precatiuncula CHRISTVM appelles, idq; retecto capite, & vtroq; genu flexo. Cum sacra peraguntur, totum corporis habitum ad religionem decet componere. Cogita illic præsentem Christum cum innumeris angelorum milibus. Et si quis regem hominem alloquuturus circumstante procerũ corona, nec caput aperiat, nec genu flectat, nõ iã pro rustico, sed Textus.

pro insano haberetur ab omnibus: quale est illic opertum habere caput, erecta genua, vbi adest rex ille regum immortalis, & immortalitatis largitor, vbi venerabundi circunstãt ætheri spiritus. Nec refert, si eos non vides, vident illi te, nec minus certum illos adesse, quàm si videres eos oculis corporeis. Certius enim cernunt Oculi fidei, quàm oculi carnis. Indecentius etiam est, quòd quidam in templis obambulãt, & Peripateticos agunt. Atqui deambulationibus porticus & fora conueniunt, non templa, quæ sacris concionibus, mysteriis, ac deprecationi dicata sunt. Ad concionantem spectent oculi, huc attentæ sint aures, huc inhiet animus omni cum reuerentia, quasi non hominem audias, sed deum per os hominis tibi loquentem. Quum recitatur Euangeliũ, assurge, & si potes, auscultа religiosè. Quũ in symbolo canitur, Et homo factus est, in genua procumbe, vel hoc pacto te submittens in illius honorem, qui semet pro tua salute, quum esset supra õnes cœlos, demisit in terras: quũ esset Deus, dignatus est homo fieri, vt te faceret deũ. Dum peraguntur mysteria, toto corpore ad religionem composito, ad altare versa sit facies, ad Christum animus. Altero genu terram contingere, erecto altero, cui læuus innitatur cubitus, gestus est impiorum militũ, qui domino Iesu illudentes, dicebant. Auerex

In-

Iudæorum. Tu demitte vtrunq;, reliquo etiã corpore nonnihil inflexo ad venerationẽ. Reliquo tempore aut legatur aliquid e libello, siue præclarũ, siue doctrinæ salutaris, aut mens cœleste quippiam meditetur, Eo tempore nugas obgannire ad aurem vicini, eorum est, qui non credunt illic adesse Christum: huc illuc circumferre vagos oculos, amentium est. Existima te frustra templũ adijsse, nisi inde melior discesseris, puriorq́.

Quoties fores templi.] Tanti veteribus sacrorum veneratio erat, vt Apuleius, homo a nostra religione multũ alienus, Aemilianum quendam rideat, quòd fana deorum, dearumq; prætergrediens, nunquam a ciuibus suis visus esset deos salutare, sed nephas habuerit orandi gratia manum labris admouere. *Peripateticos agunt.*] Περιπατητικοὶ (vt Ammonius Aristotelis categoriarum interpres scribit) διὰ τοιάυτην αἰτίαν οὕτως ἐλέγοντο. Πλάτων γὰρ γυμνασίας ἕνεκεν περιπατῶν, ἐποιεῖτο τὰς πρὸς τοὺς ἑταίρους συνουσίας, ὅν ὁ Ἀριστοτέλης διαδεξάμενος, ἤσχε τὴν ἐκ τῆς ἐνεργίας, ἤτοι τοῦ συμβεβηκότος ἐπωνυμίαν, Id est, Peripatetici hanc ob causam ita dicebantur. Plato enim exercitationis causa obambulans, sic ad discipulos verba faciebat: cui succedens

Sholia.

Peripatetici.

Aristoteles, ex ipsa re, aut quia successor erat, cognomen hoc obtinuit. Est itaque Peripateticum, huc illucqué deambulare. *Gestus est impiorum militum*] Extat apud Matth. cap. 27.

DE CONVIVIIS.

Textus *IN conuiuijs adsit hilaritas, absit petulantia, non nisi lotus accumbe, sed ante præsectis vnguibus, ne quid in his hæreat sordidum, dicarisq́; ῥυποκόνδυλος: ac prius clàm reddito lotio, aut si res ita postulet, exonerato etiã aluo: & si forte strictius cinctum te esse cõtingat, aliquantulum relaxare vincula, consultum est, quod in accubitu parum decorè fiat. Abstergens manus simul abijce quicquid animo ægrè est. Nam in conuiuio nec tristem esse decet, nec contristare quenquam. Iussus consecrare mensam, vultum ac manus ad religionem componito, spectans ad conuiuij primarium, aut si fors adest, imaginem Christi: ad nomen Iesu, matrisq́; virginis, vtrunqué flectens genu. Hoc muneris si cui alteri delegatum fuerit pari religione tum auscultato, tum respondeto. Sedis honorem alteri libenter cede, & ad honoratiorem locum inuitatus, comiter excusa: si tamen id crebrò serioqué iubeat aliquis auctoritate præditus, verecundè obrempera, ne videare pro ciuili præfactus. Accumbens vtramque manum super mensã*

habe

habe, non coniunctim, nec in quadra. Quidam enim indecorè vel vnam, vel ambas habet in gremio. Cubitu vel vtroque, vel altero innitì mensæ, senio, morboué lassis condonatur: idem in delicatis quibusdam aulicis, qui se decere putant quicquid agunt, dissimulandum est non imitandum. Interea cauendū ne proximè accumbenti cubito, neu ex aduerso accumbenti, pedibus sis molestus. In sella vacillare, & nunc huic, nunc alteri nati vicissim insidere, specimen habet subinde ventris flatum emittentis, aut emittere conantis. Corpus igitur æquo libramine sit erectum. Mantile si datur, aut humero sinistro, aut brachio læuo imponito. Cū honoratioribus accubiturus, capite pexo, pileum relinquito, nisi vel regionis mos diuersum suadeat, vel alicuius auctoritas præcipiat, cui non parere sit indecorum. Apud quasdam nationes mos est, vt pueri stantes ad maiorum mensam, capiant cibum extremo loco, retecto capite. Ibi ne puer accedat, nisi iussus, nec hæreat vsque ad conuiuij finem: sed sumpto quod satis est, sublata quadra sua, flexo poplite salutet cōuiuas præcipuè qui inter conuiuas est cæteris honoratior. A dextris sit poculū, & cultellus escarius rite purgatus, ad læuā panis. Panē vna vola pressum, sāmis digitis refringere, quorundā aulicorū delicias esse sinito: tu cultello seca decēter, nō vndique

crustum, aut vtrinq; resecans : delicatorum hoc est. Panem veteres in omnibus conuiuijs ceu rem sacrā religiosè tractabant, vnde nunc quoque mos relictus est, eum fortè delapsum in humum exosculari. Conuiuium statim a poculis auspicari, potorum est, qui bibunt, non quòd sitiant, sed quòd soleant. Nec ea res solùm moribus est inhonesta, verum etiam officit corporis valetudini. Nec statim post suptam ex iure offam, bibēdū, multò minus post lactis esum. Puero sæpius quàm bis, aut, ad summum ter in conuiuio bibere, nec decorum est, nec salubre. Senex bibat aliquandiu pastus, de secundo missu, præsertim sicco: deinde sub conuiuij finem, idque modicè sorbendo, nō ingurgitando, nec equorum sonitu. Tum vinum, tum ceruicia, nihilominus quam vinum inebrians, vt puerorum valetudinem ledit, ita mores dedecorat. Aqua feruida conuenit ætati, aut si id non patitur, siue regionis qualitas, siue alio quopiam casu, tenui ceruisia vtitor, aut vino nec ardenti, & aqua diluto. Alioqui mero gaudentes hæc sequuntur præmia, dentes rubiginosi, genæ defluentes, oculi luscioſi, mentis stupor, breuiter senium ante senectā. Antequàm bibas, præmande cibum, nec labra admoueas poculo, nisi prius mantili aut linteolo abstersa, præsertim si quis suum poculum tibi porrigit, aut vbi de

com-

communi bibitur poculo. Inter bibendum intortis oculis aliò intueri illiberale est, quēadmodum & ciconiarum exemplo ceruicem in tergū reflectere, ne quid hæreat in imo cyathi parum est liberale. Salutantem poculo, resalutet comiter, & admotis labris cyatho, paululum libens bibere se simulet: hoc ciuili nugoni satis erit. Qui si rusticius vrgeat, polliceatur se tum responsurum quum adoleuerit.

Scholia.

Non nisi lotus accumbe] Antiquitus enim, vt auctor est Plutarchus in Symposiacis, inter res sacras habebatur mensa, & non tumultuanter, sed religione quadam ad cōuiuium accedebāt lotis manibus, non aliter quam ad sacrum epulum. *Dicarisq́;* ῥυποκόνδυλος] Erasmus Chiliadibus ῥυποκόνδυλον a Græcis vocari docet, hominem sordidum & impendio parcum, conflata dictione a ῥύπος, quod sordes eas significat, quæ in summis vnguibus digitorū colliguntur, & κόνδυλος articulum digitorum. Quasi ob auaritiam ne tantillū sumptus faciat, vt tonsori det nummulū, qui repurget vngues. Talis Plautinus Euclio, sed hic tamē totondit, nisi quòd prosegmina collegit & abstulit. *Aliquantulū relaxare vincula*] Stobæus ex Platone apud Iberos hoc non licuisse scribit: Vbi & mulieres & pueri zonæ mensuram ha-

bebant, quam si eorum venter capere nequibat, magno vitio & probro dabatur. Idem apud Gallos solitum fieri, Strabo docet lib. 4. *Interea cauendum ne proximo*) Notat hoc nomine conuiuam quendam Martialis libro tertio.

Iacet occupato Galbanatus in lecto,
Cubitisq; trudit hinc, & hinc conuiuas

Parē veteres) Hinc frequens hoc epitheton ἱερὸς ἄρτος .i. sacer panis apud Poëtas. *In humum exoscolari*] Fortasse & hoc à veteribus originē habet, qui illa quę à mensa in terram caderēt, Dijs inferis sacra putabant. *Conuiuium statim a poculis*] Plinius lib. 23. ca. 1. Vinum ieiunos bibere nouitio inuento, inutilissimum est. Et lib. 14. cap. 22. idem notat. Alibi vino deberi scribit, quod ante cibum homines, & quód soli animalium non sitientes bibimus. *Tum vinum, tum ceruisia*] Plato hanc ob causam lib. de Repub. cap. 2. omnē vini vsum pueris interdixit. *Aqua feruida conuenit ætati*] Vtpote potus saluberrimus & optimus: testis Plinius lib. 14. ca. 22. *Alioqui mero gaudentes*] Vide Plinium libro eodem. *Antequam bibas*] Ne dicaris cum Glauco Plutarchi ἄρτον πιεῖν, id est, panem bibere.

Qui.

Quidam vbi vix bene considerint, mox manus in epulas conijciunt: Id luporum est, aut eorum qui de chytropode carnes nondum immolatas deuorant, iuxta prouerbium. Primus cibum appositum ne attingito, non tantum ob id quod arguit auidum, sed quod interdum cum periculo coniunctum est: dum qui feruidum inexploratum recipit in os, aut expuere cogitur, aut si deglutiat, adurere gulam, vtroque ridiculus æque ac miser. Aliquantisper morandum, vt puer assuescat affectui tẽperare. Quo consilio Socrates ne senex quidẽ vnquam de primo cratere bibere sustinuit. Si cum maioribus accumbit puer, postremus, nec id nisi inuitatus, manũ admoueat patinæ. Digitos in iussulenta immergere, agrestium est, sed cultello fuscinauè tollat quod vult: nec id ex toto eligat disco, quod solent liguritores, sed quod forte ante ipsum iacet, sumat: quod vel ex Homero discere licet, apud quem creber est hic versiculus. Textus

Οἱ δ' ἐπ' ὀνείαθ' ἑτοῖμα προκείμενα χεὶρας ἴαλλον.

Id quoque si fuerit insigniter elegans, alteri cedat, & quod proximum est accipiat. Vt igitur intemperantis est, in omnes patinæ plagas manum mittere, ita parum decorum patinam inuertere. quò veniant ad te lautiora. Si quis alius cibum porrexerit elegantiorem,

pra-

præfatus excusatiunculã recipiat, sed resecta sibi portiuncula, reliquum offerat ei qui porrexerat, aut proximè assidenti communicet. Quod digitis excipi non potest quadra excipiendum est. Si quis e placenta vel artocrea porrexerit aliquid cocleari, aut quadra excipe, aut cocleari porrectum accipe, & inuerso in quadram cibo, cocleare reddito. Si liquidius est quod datur gustandum, sumito, & cocleare reddito, sed ad mantile extersum. Digitos vnctos vel ore prælingere, vel ad tunicam extergere pariter inciuile est, id mappa potius aut mantili faciendum. Integros bolos subitò deglutire ciconiarum est, ac balatronum. Si quid ab alio fuerit resectum, inciuile est manum quadrãuè porrigere, priusquam ille structor offerat, ne videare proripere, quod alteri paratum erat. Quod porrigitur, aut tribus digitis, aut porrecta quadra excipiendum. Si quod offertur nõ congruit tuo stomacho, caue ne dexeris illud Comici Clitiphonis, non possum pater, sed blandè agito gratias. Etenim hoc vrbanissimum recusandi genus. Si perstat inuitator, uerecundè dicito, aut non cõuenire tibi, aut te nihil amplius requirere.

Scholia. *Id luporum est.*] Hoc est voracium: sic enim πχροιμιχλὰς gulosos appellamus. *Qui de chytropode.*] Hoc prouerbium solet dici in homines intempestiuæ gulæ.

Lege

Lege plura in Chiliadibus. *Quo cõsilio Socrates ne senex quidem.*] Proditum est Socratem nunquam de primo cratere bibere solitum, sed secundo sedare sitim. Vide prouerbium ἀγαθοδαιμονισταὶ. οἱδ' ἐπ' ὀνείατα. i. Hi quidem in cibos coctos & appositos manus mittebant. ἄλλως.

Appositasq; citis escas manibus rapiebãt.
Multis in locis carmẽ hoc apud Ho. extat.

Ac balatronum] Ganeones ij. & τραπεζῆες, Horatiano carmine nobiles sunt. *Caue ne dixeris illud Comici.*] Est in Heautontim.

Discenda est a primis statim annis secandi ratio, non superstitiosa, quod quidam faciunt, sed ciuilis & commoda. Aliter enim inciditur armus, aliter coxa, aliter ceruix, aliter cratis, aliter capus, aliter phasianus, aliter perdix, aliter anas, qua de re sigillatim præcipere, vt prolixum sit, ita nec operæprecium. Illud in vniuersum tradi potest, Apitiorum esse, omni ex parte quicquid palato blanditur, abradere. Abs te semesa alteri porrigere, parum honesti moris est. Panẽ prærosum iterum in ius immergere, rusticanum est. Sicut & cibum mansum faucibus eximere, & in quadram reponere, in elegans est, Nam si quid fortè sumptum est, quod deglutiri non expedit, clam auersus aliquo proijciat. Cibum ambe- Textus

besum aut ossa semel in quadram sepositare petere, vitio datur. Ossa, aut si quid simile reliquum est, ne sub mensam abieceris, pauimentum conspurcans, nec in mensæ stragulã proijce, nec in patinam repone, sed in quadræ angulum sepone, aut in discum, qui apud nonnullos reliquijs excipiendis apponitur. Canibus alienis de mensa porrigere cibum, ineptiæ tribuitur: ineptius est illos in conuiuio contrectare. Oui putamen digitorum vnguibus aut pollice repurgare, ridiculum est: idem inserta lingua facere magis etiã ridiculum, cultello uti sit decentius. Ossa dentibus arrodere canum est, cultello purgare ciuile. Tres digiti salino impressi, vulgari loco dicuntur, agrestium insignia. Cultello sumendum est salis, quantum satis est. Si longius abest salinum, porrecta quadra petendum est. Quadram aut patinam cui saccarũ aut aliud suaue quiddã adhæsit, lingua lambere felium est, non hominum. Carnem prius minutim in quadra dissecet, mox addito pane simul aliquãdiu mandat. priusquam trajciat in stomachum. Id non solum ad bonos mores, verum etiam ad bonã valetudinem pertinet. Quidam deuorant verius quam edunt, non aliter, quàm mox, vt aiunt, abducendi in carcerem: latronum est ea tuburcinatio. Quidam tantum simul in os ingerunt, vt vtrinque seu folles tumeant buc-

cæ:

alijs mandendo deductu labiorum, ſonitum edunt porcorum in morem, nonnulli vorandi ſtudio ſpirant etiam naribus, quaſi prafocandi. Ore pleno vel bibere, vel loqui, nec honeſtum eſt, nec tutum. Viciſſitudo fabularum internallis dirimat perpetuũ eſum. Quidam citra intermiſſionem edunt bibuntué, non quod eſuriant ſitiãtue: ſed quod alioqui geſtus moderari non poſſunt, niſi aut ſcabant caput, aut ſcalpant dentes, aut geſticulentur manibus, aut ludant cultello, aut tuſſiant, aut ſcreent, aut expuant. Ea res a ruſtico pudore profecta, nonnullam inſaniæ ſpeciem habet. Auſcultandis aliorum ſermonibus fallendum eſt hoc tædio, ſi nõ datur opportunitas loquẽdi. Incivile eſt, cogitabundum in menſa accumbere. Quoſdam autem videas adeo ſtupentes, vt nec audiant quid ab alijs dicatur, nec ſe comedere ſentiant, & ſi nominatim appelles, velut a ſomno excitati videantur. Adeo totus animus eſt in patinis. Inurbanum eſt oculis circumactis obſeruare quid quiſque comedat, nec decet in quenquam conuiuarum diutius intentos habere oculos: inurbanius etiam tranſuerſim hirquis intueri, qui in eodem accumbunt latere, inurbaniſſimum retorto in tergum capite contemplari, quid rerum geratur in altera menſa. Effutire, ſi quid liberius inter pocula dictum factumué ſit, nulli decorũ

eſt

eſt, ne dum puero. Puer cum natu maioribus accumbens, nunquam loquatur, niſi aut cogat neceſſitas, aut abs quopiam inuitetur. Lepide dictis modicè arrideat: obſcœnè dictis nequando arrideat, ſed nec frontem contrahat, ſi præcellit dignitate qui dixit, ſed ita vultum habitum temperet, vt aut non audiſſe, aut certe non intellexiſſe videatur. Mulieres ornat ſilentium, ſed magis pueritiam.

Scholia. *Apitiorum eſſe.*] Marcus Apitius, vnus & prçcipuus inter proceres gulæ, & vt Plinius ait, ad omnem luxũ ingenio mirus, Romę tempore Tyberij vixit, ſcientiam popinę profeſſus, auctore Seneca. Hic vt legimus in Suida, ἐπ' ἀσωτία καὶ πολυτελείᾳ ἱκανὰς μυριάδας ἀργυρίου κατανάλωσε εἰς τὸν γαστέρα. Hoc eſt, In luxu, & ſumptuoſitate maximam argenti vim abſumpſit. A quo prouerbium, Apitiæ cœnæ. Vide Cælium Rhodoginũ lib. 5. cap. 30. *Canibus alienis*] Sunt quibus nunquã cœnare foris placeat, niſi & vmbram & canem ſecũ adducant: hos Theophraſtus impudentes vocat, quo loco impudentiam depingit: καὶ προσκαλεσάμενον ἀκόλαστον λοῦσαι ἀπὸ τῆς τραπέζης ἄρας κρέας καὶ ἄρτον, καὶ εἰπεῖν ἀκουόντων πάντων, εὐωχοῦ τίμιος, id eſt, ad cœnã vocatus aſſectæ porrigere carnem & panem, quem

quem e mensa omnibus inspicientibus tollens, comededicit charissime. *Latronum est ea tuburcinatio.*] Ex Apuleio hoc sumptum videri potest: qui libro Metamorphoseon sexto de latronibus ita narrat: Ecce confecto nescio quo graui prælio, latrones adueniunt onusti, prandiūq; raptim manducant, teste Nonio. *Inciuile est, cogitabundū in mensa accumbere.*] Cicero in Officijs. Tanta vis est & loci, & temporis, vt si quis cum causam sit actu rus, in itinere aut in ambulatione secū, ipse meditetur, aut si quid aliud attentius cogitet, non reprehendatur. At hoc idem si in conuiuio faciat, inhumanus videatur insciția temporis. *Transuersim hirquis intueri.*] Vergiliana imitatio in Palæmone: Trāsuersa tuentibus hirquis. *Mulieres ornat silentium*] teste Sophocle in Aiace mastigo, γυναιξὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει, id est, Mulieribus ornatū adfert silentium. *Sed magis pueritiam*] Non enim abs re dictum est ab Euripide:

νέῳ δὲ σιγᾶν μᾶλλον ἢ λαλεῖν πρέπει, i. Iuuenē tacere plus decet, quàm sæpe loqui

Quidam respondent priusquam oratione finierit qui cōpellat, ita sæpe fit, vt aliena respondens sit risui, detqué veteri locum prouerbio, ἄμαχος ἀπήτων. *Docet hoc rex ille sapi-* Textus.

entissimus, stultitiæ tribuens, respondere priusquam audias, non audit autem qui non intellexit percunctantem: paulisper obticescat, donec ille quod dixit sponte repetat: Id si non facit, sed responsum urget, blande veniam præfatus puer, oret, ut quod dixerat, dicat denuò. Intellecta percunctatione paululum interponat moræ, deinde tum paucis respondeat, tum iucunde. In conuiuio nihil effutiendũ, quod offuscet hilaritatem. Absentium famam ibi lædere, piaculum est. Nec cuiquam illic suus refricandus est dolor. Vituperare quod appositum est, inciuilitati datur, & ingratum est conuiuatori. Si de tuo præbeatur conuiuiũ, vt excusare tenuitatẽ apparatus vrbanũ, ita laudare, aut commemorare quanti singula cõstiterint, insuaue profectò condimentum est accumbentibus. Denique si quid a quoquam in conuiuio fit rusticius per imperitiam, ciuiliter dissimulandum potius quàm irridendum. Decet compotationem libertas. Turpe est, sub dium, vt ait Flaccus, rapere, si quid cui super cœnam excidit incogitantius. Quod vbi fit diciturué, vino inscribendum, ne audias, μισῶ μνάμονα συμπόταν. Si conuiuium erit quàm pro puerili ætate prolixius & ad luxum tendere videbitur, simul atque senseris naturæ factum satis, aut clàm, aut veniam precatus, te subducito. Qui puerilem ætatem

adi-

adigunt ad inediam, mea quidem sententia, insaniunt, neque multo minus ij, qui pueros immodico cibo differciunt. Nam vt illud debilitat teneri corpusculi viriculas, ita hoc animi vim obruit. Moderatio tamen statim est discenda. Citra plenam saturitatem reficiendum est puerile corpus, magisq; crebrò quàm copiosè. Quidam se saturos nesciunt, nisi dum ita distentus est ventriculus, vt in periculum veniant ne dirumpatur, aut ne per vomitum reijciat onus. Oderunt liberos, qui illos etiamnum teneros cœnis in multam noctem productis, perpetuò sinunt assidere. Ergo si surgendum erit a prolixiore conuiuio, quadrā tuam cum reliquijs tollito, ac salutato, qui videtur inter conuiuas honoratissimus, mox & alijs simul, discedito: sed mox redituru, ne videare lusus aut alterius parum honestæ rei gratia te subduxisse. Reuersus ministrato, si quid opus erit, aut reuerēter mēsæ assistito, si quis quid iubeat, exspectās. Si quid apponis aut submoues, vide ne cui vestē iure perfūdas. Cādelā emūcturus illā e mensa tollito, quodq; emūctū est, protinus aut arenæ immergito, aut solea proterito, ne quid ingrati odoris offendat nares. Si quid porrigis infūdisué, læua id facias caueto. Iussus agere gratias, cōpone gestus, paratū te significās, donec silentibus conuiuis dicēdi tēpus adfuerit. Interim vultus ad conuiuij præ-

tem reuerenter versus sit, & constanter.

ἄμας ἀπήτουν] Id est falces petebam, alius forte non intelligens, negabat se habere ligonem, respondens, quòd nihil ad rem attineret: consule Chiliades. *Docet hoc rex ille sapientissimus*] prouerbiorum decimo octauo. *Subdiũ vt ait Flaccus*] Est apud Horatiũ libro primo Odarum, carmine 28. in quo Bacchum alloquitur, non velle secreta eius in vulgum proferre:

Non ego te candide Bassareu
Inuitũ quatiã, nec variis obsita frondibus
Sub dium rapiam.

Bassareus, Bacchus dicitur a vestibus bacchantium mulierum in Thracia, quas βασσάρας appellant, teste Hesychio. μισῶ μνάμονα συμπότου.] Id est, odi memorem compotorem, Dorica dialecto, pro μισῶ μνήμονα συμπότου. Solet dici in illos, qui amicorũ dicta liberius inter conuiuandum mox eliminant, hæc enim non oportet proferre, imò ne omninò quidẽ reminisci. Pindarus vates in Nemeis hymno decimo, symposium silentio gaudere cecinit, ἡσυχίαν δὲ φίλει μὲν συμποσίων. Et Stobæus in collectaneis, titulo de abstinentia & temperantia ex Antisthene refert Baccho, hoc est, conuiuarum præsidi νάρθηκα & λάθας, id est ferulam, & obli-

ui-

uiones, propterea consecratas, tanquã nõ opportunũ mensę delectorum obliuisci. Et Pindarus hymno primo Olympiorũ, Tantalũ tantas pœnas pati autumat, quod deorum mysteria inter conuiuandũ dicta euulgauerat. Hoc & docet Galli epigrãmatarij carmen quod in imaginem Tantali scriptũ est, cuius duos postremos versus hùc adscribere non absurdũ existimo.

Πῖνε, λέγει τὸ τόρευμα, καὶ ὄργια μάνθανε σιγῆς
οἱ γλῶσσαι προπετεῖς ταῦτα κολαζόμεθα.

Hęc pictura monet, legũ bibe docte tacẽ-
Garrulus hac pœna est afficiẽd⁹ homo. (di

Moderatio statim discenda est.] Vide Gell. cap. 19. li. 4. Et apud Ciceronem optimum est præceptum Catonis, Tãtũ cibi & potionis adhibendum, vt reficiantur vires, non opprimantur. Phocylides etiã Poëta sanctissimus modũ hùnc approbat.

Μέτρῳ μὲν φαγέειν, πειεῖν, καὶ μυθολογεύειν.

Edere mẽsura & bibere ac tu fare memẽto

DE CONGRESSIBVS.

SI quis occurrit in via, vel senio venerãdus, vel religione reuerẽdus, vel dignitate grauis, vel alioqui dignus honore, meminerit puer de via decedere, reuerenter aperire caput, nonnihil etiam flexis poplitibus. Ne vero sic cogitet, quid mihi cum ignoto? quid cum nihil vnquam bene de me merito? Non hic honos Textus.

 tribu-

tribuitur homini, non meritis, sed deo. Sic deus iussit per Solomonẽ, qui iussit assurgere cano: sic per Paulũ qui presbyteris duplicatũ honorẽ, præcipit exhibere: in summa, õnibus præstare honorẽ, quibus debetur honos, cõplectens etiã ethnicũ magistratum: & si Turca (quod absit,) nobis imperet, peccaturi simus, si honorẽ magistratui debitũ illi negemus. De parentibus interim nihil dico, quibus secundũ Deũ primus debetur honos. Nec minor præceptoribus, qui mentes hominũ quodãmodo dũ formant, generant. Iã & inter æquales illud Pauli locũ habere debet, Honore inuicem præuenientes. Qui parem aut inferiorem honore præuenit, non ideo fit ipse minor, sed ciuilior, & ob id honoratior. Cum maioribus reuerenter loquendum & paucis, cum æqualibus amanter & comiter. Inter loquendum pileum læua teneat, dextra leuiter admota vmbilico: aut quod decentius habetur, pileũ vtraque manu iuncta suspensum, pollicibus eminentibus, tegat pubis locum. Librũ aut galerum sub axilla tenere rusticius habetur. Pudor adsit, sed qui decoret, non qui reddat attonitum. Oculi spectẽt in eum cui loqueris, sed placidi simplicesque, nihil procax improbumue præ se ferẽtes. Oculos in terram deiicere (quod faciunt catoblepæ) malæ conscientiæ suspicionẽ habet. Transuersim tueri, videtur aduersantis.

Vul-

Vultum huc illuc voluere, leuitatis argumentum est. Indecorum est interim vultum in varios mutare habitus, vt nunc corrugetur nasus, nunc contrahatur frons, nunc attollatur supercilium, nunc distorqueantur labra, nunc diducatur os, nunc prematur: hæc animum arguunt Protei similem. Indecorum & illud, concusso capite iactare comam, sine causa tussire, screare, quemadmodũ & manu scabere caput, scalpere aureis, emungere nasum, demulcere faciem, quod est veluti pudorem abstergentis, suffricare occipitium, humeros adducere, quod in nonnullis videmus Italis: Rotato capite negare, aut reducto accersere: & ne persequar omnia, gestibus ac nutibus loqui, vt virum interdum deceat, puerũ minus decet. Illiberale est iactare brachia, gesticulari digitis, vacillare pedibus, breuiter non lingua, sed toto corpore loqui, quod turturum esse fertur, aut motacillarum, nec multũ abhorrens a picarum moribus. Vox sit mollis ac sedata, non clamosa, quod est agricolarũ: nec tam pressa, vt ad aures eius cui loqueris non perueniat. Sermo sit non præceps, & mentem præcurrens, sed lentus, & explanatus. Hoc etiã naturalem battarismum aut hæsitantiam, si non in totum tollit, certe magna ex parte mitigat, quum præcipitatus semo multis vitium conciliet, quod non dederat natura.

Inter colloquendum subinde titulum honorificum eius quem appellas repetere ciuilitatis est. Patris ac matris vocabulo nihil honorificentius, nihil dulcius. Fratris sororisue nomine nihil amabilius. Si te fugiunt tituli peculiares, ōnes eruditi sint tibi præceptores obseruādi: ōnes sacerdotes ac monachi, reuerēdi patres: ōnes æquales, fratres, & amici: breuiter ōnes ignoti, domini, ignotæ dominæ. Ex ore pueri turpiter auditur iusiurādū siue iocus sit, siue res seria. Quid enim turpius eo more, quo apud nationes quasdā ad tertiū quodq; verbū deierant puellæ, per panem, per vinum, per cādelam, per quid non? Obscœnis dictis, nec lunguam præbeat ingenuus puer, nec aures accommodet. Denique quicquid inhonestè nudatur oculis hominū, indecenter ingeritur auribus. Si res exigat vt aliquod membrum pudendū nominetur, circumitione verecunda rem notet. Rursus, si quid inciderit, quod auditori nauseam ciere possit, veluti si quis narret vomitum, aut latrinam, aut oletum, præfatur honorem auribus. Si quid refellendum erit, caue dicat, haud vera prædicas, præsertim si loquatur grādiori natu, sed præfatus pacē, dicat, mihi secus narratū est a tali. Puer ingenuus cū nemine contentionē suscipiat, ne cum æqualibus quidem, sed cedat potius victoriā, si res ad iurgium veniat, aut ad arbitriū prouocet.

Ne

Ne cui se præferat, ne sua, se iactet, ne cuiusquam institutum reprehendat: aut illius nationis ingenium moresue sigillet, ne quid arcani creditum euulget, ne nouos spargat rumores, ne cuius obtrectet famæ, ne cui probro det vitium natura insitum. Id enim non solum contumelioſum est & inhumanũ sed etiã stultũ: velut si quis luscũ luscũ, aut loripedẽ, loripedẽ, aut strabum strabũ, aut nothum, nothũ. His rationibus fiet, vt sine inuidia laudem inuenias, & amicos pares. Interpellare loquentem antequam fabulã absoluerit, inurbanum est. Cum nemine simultatem suscipiat, comitatẽ exhibeat omnibus, perpaucos tamen ad interiorem familiaritatem recipiat, eosq; cum delectu. Ne cui tamen credat, quod tacitũ velit: ridiculũ enim est ab alio silentij fidem expectare, quam ipse tibi non præstes. Nullus autem est adeò linguæ continẽtis, vt non habeat aliquem, in quem transfundat arcanum. Tutissimum autem, nihil admittere, cuius te pudeat, si proferatur. Alienarum rerum ne fueris curioſus, & si quid fortè conspexeris, audieriſue, fac quod scis nescias. Literas tibi non oblatas limis intueri parum ciuile est. Si fors te præsente scrinium suũ aperit aliquis, subducito te, nam inurbanũ est inspicere, contrectare aliquid, inurbanius. Item si senseris inter aliquos secretius oriri colloquium submo-

ne te dissimulanter, & in eiusmodi colloquium ne temet ingeras non accitus.

Vel senio venerandus.] iuxta præscriptum illud Græcorum.

Αἰδεῖσθαι πολιοκροτάφους, εἴκειν δὲ γέρουσιν
Εδρης κατ γεράων ταύθων. Id est.

Tu canos venerare senes, cede honoribus atque Sedibus his.

Sic per Paulũ,] Prima Timothei quinto. *Illud Pauli locum habere*] Ad Rom. capit. 12. *Librum aut galerum sub axilla*] Horat. lib. Epistolarum primo, Vinnio cuidam negotium dat perferendorum suorum librorum ad Augustum, sed hoc mandato:

Simul ac perueneris illuc,
Sic positum seruabis onus, ne forte sub ala
Fasciculũ portes librorũ, vt rusticus agnũ.

Quod faciunt Catoblepæ.] De hac bestia ita Plinius libro octauo. cap. 21. In Aethiopia fons est Nigris, iuxta hunc fera appellatur Catoplepas, modica alioquin, cæterisque membris iners, caput tantũ graue ægre ferens, id deiectum semper in terram. Habet autem hoc animal ex ipsa re nomen, nam Græcé κάτω deorsum & ad terram versus significat: βλέπειν vero, videre. *Protei similem.*] De Proteo lege quartum librum Georgicõn, & quartum

tum ὀδυσσείας Homericæ.

Turturum esse fertur] Turtures etiam postica parte loquaces, vt testantur collectanea adagiorū Græca, & Erasmus in Chiliadibus. *Motacillarum.*] Motacilla auicula notissima caudā semper quatiens, σεισουρὶς a Græcis appellatur. *Battarismum.*] Id est, balbutiem & hæsitantiam impedimentumque linguæ: ἀπὸ τοῦ βατταρίζειν, quod est balbutire. Vide Chiliades. *Sed cedat potius victoriam.*] Consultius erit hoc, taceo prudentius, si Euripidis credendum est versibus, quos citat Plutarchus.

Δυοῖν λεγομένοιν, θατέρου θυμουμένου,
Ὁ μὴ ἀντιτείνων τοῖς λόγοις, σοφώτερος.

Hoc est, duobus contendentibus, altero irato, qui non repugnat verbis, est prudētior. *Ne cui tamen credat, quod tacitum esse vult.*] Nihil enim difficilius, vt dicere solitus Aristoteles, quam σιωπᾶν, ἃ δεῖ μὴ λέγειν, Id est, tacere, quæ non oportet dicere.

DE LVSV.

IN lusibus liberalibus adsit alacritas, absit pertinacia rixarū parens, absit dolus ac mēdacium: nā ab his rudimentis proficiscitur ad maiores iniurias. Pulchrius vincit qui cedit cōtētioni, quā qui palmā obtinet. Arbitris ne reclamita Textus.

clamita. Si cum imperitioribus certamẽ est, Possisq́ ſemper vincere, nonnunquam te vinci Patere, quo ludus ſit alacrior. Si cum inferioribus luditur, ibi te ſuperiorem eſſe neſcias. Animi cauſa ludendum eſt, non lucri gratia. Aiunt puerorum indolem nuſquam magis apparere quam in luſu. Si cui ad dolos, ad mendacium, ad rixam, ad iram, ad violentiam, ad arrogantiam propenſius ingenium, hîc emicat natura vitiũ, Proinde puer ingenuus non minus in ludo quàm in conuiuio ſui ſimilis ſit.

In luſibus liberalibus] id eſt honeſtis. *Aiunt puerorum indolem nuſquã magis*] Putat & hoc Quintilianus libro primo capite quarto. Mores quoque, inquit, inter ludẽdum ſimplicius ſe detegunt. Neque adeo puerorum mentes ſolum in ludicris perſpiciuntur: verum etiam luſus viros, quales intus ſunt aperit, & tanquã conſpiciendos præbet. Teſtantur hoc Epigrammate quodam Græci. quod quia ἐπιγραμματικώτατον, hoc eſt, lepidiſſimum eſt, meminimus & adſcripſimus: quibus autem hæc Græcorum rhapſodia ſtomachũ facit, conſilio noſtro tranſmittat.

Εξόμενος μὲν τήδε παρ' εὐλοίγι τραπέζῃ
Ραίγνια κινήσης τερπνὰ βολοκτυπίης:
Μήτε ὁ νικήσας μεγαλίζεο, μήτ' ἀπολεφθεὶς
Αχνύσο, τὴν ὀλίγην μεμφόμενος βόλιδα.

Καὶ

Καὶ γὰρ ἐπὶ σμικροῖσι νόος διαφαίνεται ἀνδρὸς
Καὶ κύβος ἀπέλλει βένθος ἐχεφροσύνης.

Quę ſic ruditer tranſcripta ſunt.

Noſtra placet dũ menſa loquax, abacoq; delectat
Rem gerere, & iactus ludere multiplices.
Si ſuperas, gloriare caue: ſi victus abibis,
Non doleas, talis nec maledic leuibus.
Rebus in exiguis animus cognoſcitur, omne &
Ingenium mentis parua tabella notat.

DE CVBICVLO.

IN cubiculo laudatur ſilentiũ & verecundia. Certè clamor, & garrulitas indecora eſt, multò magis in lecto. Siue cùm exuis te, ſiue cùm ſurgis, memor verecundiæ, caue ne quid nudes aliorũ oculis, quod mos & natura tectum eſſe voluit. Si cum ſodali lectum habes communem, quietus iaceto, neque corporis iactatione, vel teipſum nudes, vel ſodali detractis pallijs ſis moleſtus. Priuſquam reclines corpus in ceruical, frontem & pectus ſigna crucis imagine, breui precatiuncula temet Chriſto commendans. Idem facito, quum mane primũ temet erigis, a præcatiuncula diem auſpicans, non enim potes ab omine fœliciore. Simul ac exoneraueris aluum, ne quid agas, niſi prius lota facie, manibusq́; & ore proluto. Quibus cõtingit bene naſci, his turpe eſt generi ſuo non reſpondere moribus. Quos fortuna voluit eſſe plebeios, humiles aut etiam rureſtres, his impenſius etiam adnitendum eſt, vt quod fors inuidit, morum elegantia penſent. Nemo ſibi parentes aut patriam eligere poteſt, at ingenium moresq́; ſibi

quiſque

quisque potest fingere. Colophonis vice addam præceptiunculam, quæ mihi videtur propemodum primo digna loco. Maxima ciuilitatis pars est, quũ ipse nusquam delinquas, aliorum delictis facilè ignoscere, nec ideo sodalem minus habere charum, si quos habet mores inconditiores. Sunt enim qui morum ruditatem aliis compensent dotibus: neque hæc ita præcipiuntur, quasi sine his nemo bonus esse possit. Quod si sodalis per insciitiam peccet, in eo sanè quod alicuius videtur momenti, solum ac blandè moneri ciuilitatis est.

ἘPILOGVS.

Hoc quicquid est muneris. (Henrice fili charissime) vniuerso puerorum sodalitio per te donatum esse volui, quo statim hoc congiario simul & commilitonum tuorũ animos tibi concilies, & illis liberalium artium ac morum studia commendes. Præclaram indolem tuam IESV benignitas seruare dignetur, semperquè in melius prouehere. Datum apud Friburgũ Brisgoiæ. Mense Martio, Anno M. D. XXX.

At ingenium.] Hoc est, quod dixit Tullius: Ipsi autem quam personã gerere velimus, a nostra voluntate proficiscitur. *(Colophonis vice addam.)* Id est tanquam rem maximè necessariam. Vide prouerbium Colophonem addidit. *Maxima ciuilitatis pars est.*] Non retinentur amici, nisi eorum mores ac errata tolerare sciamus: quare doctè, vt omnia, præceptum est a Græcis, Φίλου τρόπους γίνωσκε, μισκτὸς γὰρ μὴ. Qui senarius ita ἐν τοῖς Porphirionis versus est. Mores amici noueris, nõ ode-

óderis. Et Horatius non vult amicum, qui non vitia cum virtutibus æquo libramine examinet. Ideo autem vitijs amicorum debemus ignoscere, vt illi vicissim nostra ferre discant: Vitijs enim nemo sine nascitur. Optimus ille est, qui minimis vrgetur. *Hoc quicquid est*] ἐπίλογος est commentarioli. *Hoc congiario simul.*] Congiarium dicebatur, quod ab imperatoribus liberalitatis causa, & vltrà solitũ stipendium militibus dabatur, quo sibi eorum animos, tanquam, auctuario quodam conciliarent. Herodianus λαμπρὰς καὶ μεγαλόφρονας ἐπιδόσεις vocat, id transpositum, splendidas & magnificas additiones sonat. Et huc vsq; Scholia nostra in vsum puerorum quorundam tumultuariè adiecta protraximus: semper & libenter emendaturi, si quid a varietate iudiciorum desideretur.

FINIS.

DE RATIONE STVDII.

ex Rodolpho Agricola.

In studijs formandis duo præcipuè spectanda sunt: Primum, quod studiorũ genus maxime sectari velis: Secũdũ, qua ratione in eo quod elegeris plurimum efficias. De primo, si facultatũ vberior copia, & fœlicior ingenij vis tributa est, quantum in te est, totis viribus ad optima te conferto.

Artes sic recte ab infantia discès, si quod apud probatos auctores legeris, idipsum quam maxime propriis & idem significantibus verbis reddere vernaculo ser-

mone

mone coneris: vt quoties dicendũ tibi aliquid est, aut scribendum, quando concipiendis verbis apud animũ tuum, sese quo natura fert vernaculus sermo protulerit, statim quoque Latina verba iam pridem illi hoc vsu accommodata sequantur.

Ad hæc si scribere voles, optimum erit id ipsum quam plenissime rectissimequé, patrio sermone intra animum tuum formare, deinde Latinis purè, propriequé significantibus explicare: sic fiet vt omnia apertè, & quam maximè planè dicantur. Et alia multa in epistola auctoris, quam de formando studio scripsit elegantissimam.

FINIS.

BRITISH MUSEUM 11 JU 1901

Liber dni Robarsli Bagulei emptus
Antoni decimo secundo die Novem-
bris Ao 1584 a Rodolpho Mourdeno,
Bibliopolam Stanfordiensi
Pretium huius libri 2 iij
Scopus vitæ Christus.